DE
HISTORIA THUCYDIDEA
COMMENTATIO.

ACCEDIT

INDEX HISTORICUS ET GEOGRAPHICUS.

EDIDIT

ERNESTUS FRIDERICUS POPPO.

LIPSIAE,
SUMPTIBUS ET TYPIS B. G. TEUBNERI.
MDCCCLVI.

Quum Thucydidis historiae libros octo anno MDCCCXLIII et proximis usque ad MDCCCLI adnotationibus illustratos sumptibus Henningsianis edidissemus, octo fasciculis huius editionis nonum adiecturi fuimus, quo et, quae de huius historiae compositione atque sermone universo scienda essent, et rerum historicarum, geographicarum, ad antiquitates pertinentium, quarum apud Thucydidem mentio fieret, indices continerentur, qui fasciculus non solum exemplorum a nobis divulgatorum possessoribus, sed etiam iis literarum studiosis, qui mera verba Thucydidis tenerent, usui esse posset. Verum bibliopolarum tabernam Henningsianam tunc habentium casibus quibusdam, quos exponere hic non est opus, effectum est, ut per complures annos variis dilationibus frustraremur. Tandem igitur impetrata novum libri redemptorem quaerendi potestate Teubnerum de studiis antiquitatis multis nominibus optime meritum interrogavimus, velletne hunc libellum literarum formis describendum curare. Quod quum is humanissime affirmasset, et commentationem denuo perlectam summa eorum, quae postremis annis de Thucydidis historia disputata erant, auximus, et nonnulla amputavimus iis, qui bibliothecae Gothanae volumina a nobis curata sibi non com-

parassent, inutilia. Indicis historici et geographici fundamentum est Didotianus, sed eum, qui ipse antiquioribus nititur, singulis in paginis ita amplificatum et emendatum videbis, ut iure novus existimari possit.

FRANCOF. AD VIADR.
m. Sept. a. MDCCCLVI.

Continetur hoc fasciculo

I. de historia Thucydidea commentatio.

A. De historiae Thucydideae compositione.

Cap. I. Quae conscribere Thucydides sibi proposuerit. p. 1—8.

Cap. II. Cur bellum Peloponnesiacum scripserit. Argumenti delecti magnitudo et praecipua totius libri sententia. p. 8—12.

Cap. III. Thucydidem ad ea, quae scripsit, narranda fuisse maxime idoneum. Fueritne morosus aut ἄθεος, quaeritur. p. 12—22.

Cap. IV. Vera dixisse Thucydidem ita ostenditur, ut simul refutentur ea, quae contra moneri possint, ac maxime de fabulis et orationibus huius historici disputetur. p. 22—33.

Cap. V. De rerum delectu. Thucydides num altius orsus sit historiam vel degressiones inutiles interposuerit, item num necessarias res omiserit, vel certe nimia aut brevitate aut diligentia usus sit, exploratur. p. 33—40.

Cap. VI. De dispositione historiae Thucydideae, temporum rationibus eius, descriptione in aestates et hiemes, item in libros. p. 40—45.

Cap. VII. De arte compositionis historiae Thucydideae. p. 45—48.

Cap. VIII. Quale sit genus historiae a Thucydide excultum. p. 49—56.

B. De elocutione Thucydidis.

Cap. IX. De integritate sermonis Thucydidei. Spectatur maxime natura dialecti eius Atticae. p. 56—63.

Cap. X. De perspicuitate sermonis Thucydidis, maxime de studio eius συνώνυμα, quae dicuntur, distinguendi, de verbis obsoletis aut novatis, de obscuritatis natura et causis. p. 63—68.

Cap. XI. Servaveritne Thucydides poeticae et solutae orationis atque historici et oratorii generis discrimina, quaeritur. Enumerantur maxime poetica, quae visa sunt, vocabula, flexiones, verborum compositiones, item figurae vel poeticae vel oratoriae. p. 69—75.

Cap. XII. Diversa historici sermonis genera distinguuntur, et Thucidides, praeterquam quod, quae omnium historicorum

communia sunt, retinuit, serio tristive genere usus esse et brevitati, sublimitati, varietati studuisse demonstratur. Initium fit a brevitatis studio Thucydidis, quod primum quibus in rebus non insit, deinde, quibus efficiatur, ostenditur. Tractantur pleonasmi, verbositas, *σχῆμα ἀπὸ κοινοῦ*, *βραχυλογία*, similia. p. 76—87.

Cap. XIII. De sublimitate Thucydidis. Quibus in rebus insit, ita declaratur, ut primum hunc scriptorem saepe substantive loqui, humilia fugere, syntaxi rariore et exquisitiore delectari maxime demonstretur. Deinde de collocatione verborum ita disseritur, ut et ad numerum breviter respiciatur, et traiectionum varia genera enumerentur. Accedunt denique nonnulla de comprehensionibus verborum Thucydideis. p. 87—101.

Cap. XIV. De varietate sermonis Thucydidei. Quibus in rebus non insit haec varietas et in quibus cernatur, ubi maxime explicatur de compositione verborum inaequali. p. 101—106.

II. Index historicus et geographicus. p. 107—138.

A.

De historiae Thucydideae compositione.

Conferendi sunt hi maxime libri. Primum ex iis, in quibus de Graecorum arte historiae componendae universa explicatur, inter Graecos ipsos Dionysius Halicarnassensis in epistola ad Cn. Pompeium data et Lucianus *πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράψαι*· ex recentioribus praecipue Creuzer „Die historische Kunst der Griechen" et Ulrici „Charakteristik der antiken Historiographie". Deinde nominatim ad Thucydidem spectant Dionysii Halicarnassensis *περὶ τοῦ Θουκυδίδου χαρακτῆρος* (de Thucydide iudicium) et *περὶ τῶν Θουκυδίδου ἰδιωμάτων* (de iis quae Thucydidi propria sunt)· ex recentioribus Heilmann „Kritische Gedanken von dem Charakter und der Schreibart des Thucydides" (in eius opusculorum volumine altero et in eiusdem interpretationis Germanicae editionibus postremis), Creuzer „Herodot und Thucydides", Roth „Ueber Thucydides und Tacitus", Roscher „Leben, Werk und Zeitalter des Thukydides", Daunon „Cours d'études historiques, tome dixième, Thucydide", Ullrich „Beiträge zur Erklärung des Thukydides" (Hamburgi 1846). Alii aut minus insignes sunt, aut quod de singulis rebus huc pertinentibus explicaverunt, infra nominabuntur. Cf. interea ed. mai. Suppl. p. 87 et (ed. 2.) p. 521.

Cap. I.

Quae conscribere Thucydides sibi proposuerit.

Thucydides I, 1 conscriptum a se esse bellum Peloponnesiorum et Atheniensium (*τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων*) dicit, quibus verbis significari bellum viginti septem

annorum expugnatione Athenarum finitum, quod vulgo Peloponnesiacum vocatur, et ex V, 26 et ex singulorum annorum enumeratione, qua narratio rerum usque ad vigesimi primi anni huius belli aestatem (VIII, 60, 61, 109) perducta est, ita visum est constare, ut usque ad hanc aetatem nemo de ea re dubitaverit. Per se tamen illa verba esse ambigua, iisque et nomine *huius* belli (*τούτου τοῦ πολέμου* et *τοῦδε τ. π.* I, 8, 13, 18, 19, 21, al.) totum Peloponnesiacum designare Thucydidem proprie, quum haec scriberet, nec voluisse nec potuisse Ullrich eo libello, quem supra nominavimus, p. 3 sqq. aggressus est demonstrare. Fuisse enim complura alia bella, quae aeque recte Atheniensium et Peloponnesiorum appellarentur, ante id, de quo Thucydides loqueretur, certe duo, Cleomenis in Atticam irruptionem a. 507 factam et arma a Plistoanacte a. 446 Atheniensibus illata. Deinde, etiamsi de his antiquioribus, quae intelligenda non esse scriptor I, 23 et alibi ostenderet, non cogitaremus, paulo ante compositam hanc historiam duo fuisse bella Atheniensium et Peloponnesiorum, id, quod pace Niciae, et id, quod Athenis captis confectum esset. Haec duo bella a vetustioribus scriptoribus, Platone in Menex. p. 242 a—e, Andocide de pace p. 24, 9, Aeschine de fals. legat. 51, 176, clare discerni. Alterum ab Isocrate (Plat. 302, 31 et de pace 166, 37), Demosthene (de cor. 258, 96, adv. Androt. 597, 15, adv. Eubul. 1304, 18), Aristide (Leuctr. IV, 460, 12), Troio Pompeio (Prol. l. V) Deceleicum (*Δεκελεικόν*) vocari, quam appellationem etiam a Diodoro (XIII, 9), Strabone, compluribus lexicographis commemorari. (Cf. Wass. et nos in ed. mai. ad VII, 18, 27, 69.) A Thucydide bellum posterius (*τὸν ὕστερον ἐκ τῆς ὑπόπτου ἀνακωχῆς πόλεμον* V, 26, *τὸν χρόνῳ ὕστερον μετὰ τὰ ἐκ Σικελίας πόλεμον* IV, 81) dici. Partes eius esse bellum Siciliense (*τὸν Σικελικὸν πόλεμον τοῦτον*) VII, 85 et bellum Ionicum VIII, 11. Inter pacem Niciae et renovatum certamen Atheniensium et Peloponnesiorum nominari *τὸν Μαντινικὸν καὶ Ἐπιδαύριον πόλεμον* V, 26. Denique superius bellum ab impetu a Thebanis in Plataeenses facto usque ad Niciae pacem gestum a Thucydide vocari primum hoc bellum, prius bellum, primum bellum de-

cenne, etiam simpliciter bellum decenne (*τὸν πρῶτον πόλεμον τόνδε* V, 20, *τὸν πρότερον πόλεμον* VII, 18, *τὸν πρότερον ὑπάρχοντα πόλεμον ἐκ Πελοποννήσου* VII, 28, *ταῦτα τὰ δέκα ἔτη τὸν πρῶτον πόλεμον ξυνεχῶς γενόμενον* V, 24, *τὸν πρῶτον πόλεμον τὸν δεκαετῆ* V, 26, *τὸν δεκαετῆ πόλεμον* V, 25). A Peloponnesiis appellatum esse bellum Atheniense (*τὸν Ἀττικὸν πόλεμον* V, 28, 31, *τὸν πρὸς Ἀθηναίους πόλεμον* V, 29), ab Herodoto Peloponnesiorum et Atheniensium (*τὸν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων πόλεμον* VII, 137, pro quibus plenius IX, 73 *τὸν πόλεμον τὸν ὕστερον πολλοῖσι ἔτεσι τούτων γενόμενον Ἀθηναίοισί τε καὶ Πελοποννησίοισι*), a Lysia, si Harpocrationi, cuius verba contracta alii lexicographi, paene integra Arsenius et Apostolius repetunt, fides habenda sit, Archidamium (*Ἀρχιδάμιον πόλεμον*, cf. Wass. et Goell. ad II, 10). Contra hanc aequalium de rebus tunc gestis opinionem Thucydidem necessarium existimasse V, 26 defendere unum bellum viginti septem annorum fuisse. Et recte quidem eum partes historiae illius temporis ita complexum esse, sed singulari eius sententiae defensione sane opus fuisse, quum nemo negare posset eam non unam esse rationem, qua quis res illius aetatis consideraret. Ita ne in initio quidem aut fine belli constituendo omnes cum illo consentire debuisse. Itaque solos historicos Thucydidis bellum Peloponnesiacum recepisse. Et primum quidem Xenophontem in persequenda historia belli ad illius exemplum se conformasse, atque in Anab. VII, 1, 27 de *πολέμῳ τῶν Ἀθηναίων πρὸς τοὺς Λακεδαιμονίους καὶ τοὺς ξυμμάχους* in universum cum Thucydide consentire. Add. ibid. II, 6, 2. Septem et viginti annorum hoc bellum fuisse dicere etiam Dionysium Hal. de Thucyd. indic. c. 12. Peloponnesiacum autem ex Graecis, quod quidem nos sciamus, a Diodoro primo XII, 37, 38, XIII, 107, XIV, 10 vocari, qui in eo conscribendo Thucydidem sequeretur, quamquam etiam alios fontes consuluisset, ex quibus XIII, 24 (cf. XII, 75) prius decem annorum bellum Peloponnesiacum diceret; deinde a Strabone XIII, 600, Plutarcho Pericl. c. 29 et Aristid. 1, aliis; a Pausania III, 7, 11 et VIII, 41, 9 *τὸν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων πόλεμον*, IV, 6, 1 *τὸν Πελοποννήσιον πόλεμον*, VIII,

52, 3 *τὸν Πελοποννησιακὸν πρὸς Ἀθηναίους πόλεμον.* Frequentissimum esse nomen apud Romanos, Ciceronem (de Republ. III, 32, 44 et de Off. I, 24, 84), Cornelium Nepotem (qui Peloponnesium solet vocare, ut Alc. 3. Thrasyb. 1), Quintilianum, alios. Sed Athenienses usque ad tempora imperii Macedonici prius et alterum bellum Peloponnesiacum distinxisse et nonnunquam solum Deceleicum recordatos esse. Itaque verba *τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων* I, 1, si iis bellum viginti septem annorum significaretur, diligentius definienda fuisse, praesertim quum hoc omisso etiam ea, quibus in hoc libro ad finem et diuturnitatem belli respiceretur, parum distincte dicta essent. Sed haec ex origine operis Thucydidei videri explicari posse.

Reperiri enim adhuc vestigia quaedam, ex quibus librum secundum ante interruptum pace vel redintegratum bellum compositum esse intelligeretur. Huc pertinere II, 1 *ἄρχεται ὁ πόλεμος ἐνθένδε... ἐν ᾧ... καταστάντες ξυνεχῶς ἐπολέμουν.* Deinde quae II, 54, 3 (*ἢν δέ γε — ᾄσονται*) legerentur, post expugnatas *fame* a Lysandro Athenas non posse scripta esse. Neque, quod II, 15 affirmaretur, *ἀρχόμενοι πάντες ὀξύτερον ἀντιλαμβάνονται*, de bello septem et viginti annorum recte asseverari. Tum, quae de irruptionibus in Atticam factis II, 57, 2 et III, 26, 3 dicerentur, post incursionem anni 413, qua munita esset Decelea, non potuisse recte afferri. (Contra nihil colligi posse ex verbis *διὰ παντὸς τοῦ πολέμου* II, 34.) Tertium librum scriptum esse ante bellum alterum apparere ex iis, quae III, 86 de Doricis civitatibus Siciliae legerentur, *αἵπερ καὶ πρὸς τὴν τῶν Λακεδαιμονίων τὸ πρῶτον ἀρχομένου τοῦ πολέμου ξυμμαχίαν ἐτάχθησαν, οὐ μέντοι ξυνεπολέμησάν γε·* his enim Thucydidem post bellum viginti septem annorum *iam tunc* vel similem particulam additurum fuisse. (Quod nobis parum certum videtur, quum illa *ἀρχομένου τοῦ πολέμου* etiam ad *ξυνεπολέμησαν* referri possint, quod verbum in aoristo, non in imperfecto, collocatum esse negligendum non est.) Deinde idem patere ex iis, quae de pestilentia III, 87 legerentur, *ὥςτε Ἀθηναίων γε μὴ εἶναι ὅ τι μᾶλλον ἐκάκωσε τὴν δύναμιν.* (Contra non multum effici ex iis, quae de Aetnae

incendiis l. III extremo traderentur; nam apparere inde tantum hunc librum inter a. 425 et 396 compositum esse. Cf. ibi adn.) In libri IV parte posteriore quidem duos inveniri locos, ex quibus alterum bellum notum fuisse scriptori perspicuum esset, 81, 2 et 108, 4; sed priorem partem prius confectam esse, quam huius belli notitiam habuisset, ex 48, 4 verbis *ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε* comparatis cum Diod. XIII, 48 coniiciendum esse. (Cf. tamen ibi adn.) Omnino igitur, ubicunque in prioribus quatuor libris *ὅδε ὁ πόλεμος* commemoraretur, proprie significari bellum decenne, cuius solius res Thucydides ab initio sibi proposuisset perscribere. Id enim ut de libro secundo, tertio, quarto exemplis iis, quae prolata sunt, demonstratum esset, ita in primo quoque indicia eodem pertinentia inveniri. Huc spectare primum ea, quae c. 23 ad declarandum id bellum, de quo Thucydides loqueretur, ceteris maius esse legerentur; deinde etiam, quae 21, 2 affirmarentur, de bello viginti septem annorum dicta esse, probabile non esse; certissime autem rem intelligi ex iis, quae I, 10 de potentia Lacedaemoniorum scripta essent, quum imperium Peloponnesi *καὶ τῶν ἔξω ξυμμάχων πολλῶν* habere traderentur. Denique etiam ex universa prooemii natura argumenta peti posse; nam id si narrationis belli viginti septem annorum prooemium esse voluisset, Thucydidem, quae V, 25 et 26 exposita essent, multo aptius hic prolaturum fuisse; nunc duo nos habere prooemia, quo opus ipsum in duas partes contra consilium scriptoris divideretur, quarum partium prior dicto V, 24 *ταῦτα δὲ τὰ δέκα ἔτη ὁ πρῶτος πόλεμος ξυνεχῶς γενόμενος γέγραπται* absolveretur.

Ex his omnibus igitur apparere et Thucydidem principio solum prius bellum scribere voluisse et id re vera ab eo iam ante initium alterius paene totum scriptum esse. Materiae libri colligendae initium statim bello moto a se factum esse ipsum significare verbis *ἀρξάμενος εὐθὺς καθισταμένου* I, 1 (cf. ibi adn.); quae autem collegisset, ea finito pace Niciae certamine exponere eum aggressum esse incipientem a prooemio libri primi (in quo prooemio confecti belli iam fit mentio I, 13, 18); atque hunc librum, duos proximos et priorem

partem quarti ab eo confecta esse, antequam posterius certamen cognovisset. Haec igitur ab eo exsule (cf. V; 26) inter pacem Niciae et bellum Deceleicum (421—413) scripta esse. Deinde posteaquam novum bellum exortum esset, huius quoque res haud dubie continuo ab eo collectas et in commentarios relatas esse. Quum autem annis decem vel undecim ab initio belli Deceleici usque ad reditum suum interiectis rursus pace facta denuo scribere orsus esset, primum prioris belli historiam ab eo absolutam esse; quare fortasse tunc demum verba IV, 48 ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε interposita esse; certe quatuor aliis locis, IV, 81, 108, V, 20, 24, posterioris belli notitiam cerni. Historiam alterius spatii temporis ab V, 25 incipere, eamque non ante reditum Thucydidis in patriam literis consignari coeptam esse ipsius testimonio V, 26 constare. Revertisse eum videri demum hieme a. 403/2. (Cf. tamen adn. ad Marc. Vit. Thuc. c. 32.) Quam diu autem post reditum vixisset, et usque ad quod tempus scripsisset, compertum nos non habere. Diuturnum hoc tempus fuisse probabile non esse; aliter enim eum historiam suam aut perfecturum aut certe longius persecuturum fuisse. Id unum certum esse, posteriorem partem operis Thucydidei a V, 26 incipientem post a. 403 confectam esse. Indicia, quibus, quando singuli loci eius compositi essent, patefieret, nondum inventa esse, nisi forte hoc unum, quod Thucydides de Antiphonte VIII, 68 haec dicens, ἄριστα φαίνεται τῶν μέχρι ἐμοῦ … θανάτου δίκην ἀπολογησάμενος, ad Socratis defensionem respicere videri posset. (Ex quibus verbis non minus recte contrarium colligi posse nos putamus.)

Thucydidi formam compositionis altera parte addita mutare utique propositum non fuisse. Unum tamen discrimen sua sponte ortum esse; affluente enim copia rerum scriptori necessitatem maioris brevitatis iniunctam esse, praeterquam quod bellum Siciliense longe maximum latius perscriptum esset. Retractare eum opus suum voluisse verisimile non esse, sed ut quisque liber confectus esset, eum existimatum esse absolutum. Secundum tamen librum eatenus excipiendum videri, quatenus in eo duo loci postea additi reperirentur, II,

65 et 100. Ex quibus illum a §. 5 usque ad extremum caput confecto toto bello scriptum esse demonstratione non egere. Alterum, 100, 2, quum Archelaus Ol. XCI, 3 s. a. Chr. 410 Macedoniae rex factus esset, non potuisse certe ante a. 411 exarari; sed loqui scriptorem de Archelao ita, ut hunc regem tunc iam mortuum fuisse suspicemur. Quod si verum sit, hunc locum adeo post Ol. XCIV, 2 (a. Chr. 399) scriptum esse.

Et his quidem locis fidem universae huius opinionis ab auctore subtilissime expositae et defensae maxime infirmari facile patet. Sed etiam in superioribus nonnulla verba Thucydidis, quae comparata sunt, minorem vim et auctoritatem ad rem demonstrandam videntur habere, velut illa IV, 48, 4. Cf. ibi adn. Quare, quum Ullrichius duobus locis libri quarti alterius belli notitiam demonstrari ipse fateatur, si reliqua sententia eius probanda sit, certe totum quartum librum post bellum alterum consignatum esse malimus suspicari.

Ceterum aut ignorans aut tacens Ullrichii expositionem, qua olim solum bellum decenne Thucydidi scribere propositum fuisse docuit, nuper Schunckius „de prooemio Thucydidis“ tamen non esse totam historiam Thucydidis demum universo bello Peloponnesiaco finito compositam, sed primam certe partem, quae contineret res primis decem annis gestas, per septem fere annos pacis inter prius bellum et alterum interiectos scriptam esse demonstrare aggressus est. Nititur is praecipue testimoniis veterum scriptorum a Thucydide historiam, quum in exsilium pulsus esset, Scaptesulae compositam esse affirmantium. Cf. Marcell. §. 46 et ibi adn. Addit praeterea, quanquam confecto priore bello facile intelligi potuisset et a Thucydide certe cognitum esset alterum exarsurum esse, quum statim exorto bello res eius conscribere animum induxisset atque adeo orsus esset, probabile non esse per septem annos pacis eum cunctatum esse, quae collegisset, componere. Tres locos II, 65, 100, IV, 81 a scriptore postea, confecto iam universo bello, additos et prooemium totum, in quo non solum I, 13 et 18 finis belli commemoraretur, sed ad eundem etiam alibi, ut c. 21 et 23, respiceretur, tum demum elaboratum esse; pro certo enim se habere Thucydi-

dem in scribendo opere non a prooemio esse orsum, sed prius scripsisse res eas, quibus praefationem praeponeret. Verum est certe, si hoc prooemium iam confecto priore bello compositum esse censeas, reperiri in eo nonnulla, quae cum Ullrichii sententia aegre concilies. Huc referimus verba I, 1, 2, *ὡς δὲ εἰπεῖν καὶ ἐπὶ πλεῖστον ἀνθρώπων*, quae vel cum veri superlatione oratoria de priore bello, quo nec regnum Persicum implicatum est nec Italia praeter Siciliam, dici posse non videntur. Deinde quod Thucydides I, 23 bellum Peloponnesiacum Persico maius fuisse ostendere studuit, si Peloponnesiaci priorem partem sive bellum decenne intelligi voluisset, nullo modo dici potuisse enumeratis proeliis et terrestribus et navalibus atque reliquis rebus memorabilibus primorum decem annorum demonstrare studuit Wentzke in „Quaestion. Thucydid.“ p. 6 sqq.

Cap. II.

Cur bellum Peloponnesiacum scripserit Thucydides. Argumenti delecti magnitudo et praecipua totius libri sententia.

Cur historiam belli Peloponnesiorum et Atheniensium composuerit, Thucydides ipse I, 1 his verbis significat: *ἐλπίσας μέγαν τε ἔσεσθαι καὶ ἀξιολογώτατον τῶν προγεγενημένων… κίνησις γὰρ αὕτη μεγίστη δὴ τοῖς Ἕλλησιν ἐγένετο καὶ μέρει τινὶ τῶν βαρβάρων, ὡς δὲ εἰπεῖν καὶ ἐπὶ πλεῖστον ἀνθρώπων.* Ostendit deinde maxima parte prooemii hoc certamen omnibus superioribus rebus Graecorum, adeo Troiano bello et Medico, maius fuisse. (Cf. adn. ad 8, 1 et disposit. prooem. praeterea Schunck. l. d. p. 23 sqq.) Cum altero bello, de quo solo iudicium illud dubium videatur, c. 23 id, quod narravit, ita comparat, ut et diuturnius fuisse dicat, et clades in eo Graeciae accidisse, quales in pari temporis spatio nunquam alias; id quod proximis verbis illustratur.

Et argumentum a Thucydide delectum quanquam a Dionysio p. 768 reprehensum est, dignissimum fuisse, quod tractaretur, hodie inter omnes constat. Nam bellum Peloponnesiacum, de cuius universa natura confer maxime Wachsm. Antiqu. Gr. I. §. 30. ed. 2., primum per se magnum et atrox fuit. Non solum enim Athenienses et Peloponnesii ipsi tunc omni apparatu bellico maxime florebant, sed etiam tota Graecia in communionem huius belli venit, quoniam alii cum Atheniensibus, alii cum Lacedaemoniis societatem aut habebant aut coniungebant. (I, 1.) Eiusdem belli participes facti sunt Graecorum coloni in Asia, Chalcidica, Sicilia atque alibi habitantes, et e barbaris Persae, Thraces, Macedones aliique finitimi Graecorum (ut Paeones, Illyrii, qui Epirotae postea dicti sunt, Siculi et Elymi, Messapii, Tyrrheni). Pugnatum est de Graeciae imperio, de gentis Ionicae aut Doricae principatu, de populi aut paucorum dominatione. Cf. Creuz. Art. hist. p. 267 (p. 207 ed. 2.) et Wachsm. l. d. p. 230—233. Nam primum Athenienses principatum (ἡγεμονίαν) Graeciae, quem olim habuerant, quum praeessent sociis liberis (αὐτονόμοις) et in conventibus (ἐν ξυνόδοις), qui Deli habebantur, de communibus rebus deliberantibus, ad bellum autem aut naves aut pecuniam conferentibus (I, 96 sq.), paulatim mutaverant in imperium (ἀρχήν I, 97 extr. II, 8, V, 69 al.) et dominationem (τυραννίδα III, 37, quare τύραννος πόλις I, 122 et πόλις ἀρχὴν ἔχουσα aequiparatur ἀνδρὶ τυράννῳ VI, 85. Cf. plura in mai. ed. I. 2. p. 40 sqq. et Grot. Hist. Gr. V. ed. 2. p. 395 sqq., interpr. III. p. 226 sq.). Cui imperio invidentes Lacedaemonii Graeciam se liberaturos esse professi sunt II, 8 et ibi adn. Deinde quum Athenienses Iones, Lacedaemonii Dorienses essent, ex bello duorum populorum factum est quodammodo bellum duarum gentium de principatu. Nam Doricae civitates Ionicis natura inimicae, ceteris autem Doriensibus natura cognatae existimabantur VI, 79. Propter consanguinitatem metuendum erat, ne Syracusani Doriensibus in bello succurrerent VI, 6, et Iones semper Doriensibus infensos esse Athenienses ne coram Camarinaeis quidem Doriensibus, quos in suas partes student traducere, audent negare VI, 82. (Cf. plura hac de

re et de exceptionibus, quarum nonnullas causis adiectis Thucydides ipse VII, 57 indicavit, ed. mai. I. 2. p. 22 sqq.) Denique quum Lacedaemonii curarent, ut socii a paucis, quemadmodum ipsis commodum erat, regerentur (I, 19, cf. I, 76 et V, 81), Athenienses autem populari imperio uterentur, plebs usquequaque Atheniensibus, nobiles Lacedaemoniis favebant III, 47 init. 82 init. VIII, 64. Quare Samii firmi visi sunt Atheniensibus, postquam plebs rerum potita est VIII, 21; contra paene omnes defectiones foederatorum ab Atheniensibus ad Lacedaemonios optimatium opera effectae sunt, populo rem tolerante magis quam adiuvante. Cf. de Acantho dicta IV, 84, de Amphipoli IV, 104—106, de Torone IV, 110 sqq., de Mende IV, 123, de Chio VIII, 9, 14, de Rhodo VIII, 44, etiam de Lesbo narrata III, 27 et Grot. l. d. VI, p. 45 sq. (interpr. III. p. 340) et alibi. Atque quadringenti viri imperio Athenarum potiti nihil antiquius habuerunt, quam ut de pace cum Lacedaemoniis agerent VIII, 70, 90, atque iis adeo moenia et naves tradituri erant VIII, 91.

Quum igitur de rebus maximis pugnaretur, per viginti septem annos Graecia ipsa, Macedonia, Thracia, insulae maris Aegaei, Asiae ora, Sicilia et pars Italiae vehementissime vexatae sunt. Praeterea ut omnia bella civilia, ita hoc atrocissimum fuit, idemque insigne rerum varietate, fortunae vicissitudine. Sed hoc certamen non solum per se memorabile fuit, verum ex eodem aliae res ortae sunt gravissimae. Namque eo opes Atheniensium ita fractae sunt, ut nunquam postea eandem, quam antea habuerant, potentiam recuperarent. Graeciae principatus ad Lacedaemonios pervenit; sed hi quoque per hos septem et viginti annos magnum et hominum et aliarum rerum detrimentum fecerant, atque mox, quod sibi paraverant, imperium perniciosum esse senserunt. Cf. Mans. Spart. vol. II. p. 365 sqq. Tum etiam aliarum Graecarum civitatum formae et conditiones seditionibus, quae hoc bellum comitabantur, mutatae sunt. (Cf. III, 82 sqq.) Omnium autem Graecorum mores corrupti sunt (vid. l. d.), opes et divitiae accisae, Graeci contra Graecos barbarorum auxilio uti coeperunt. Non igitur errabimus, si iam hoc bellum cau-

sam fuisse dixerimus, cur mox totius gentis libertas interiret. Cf. de his omnibus Heilm. Opusc. vol. II. p. 104 sqq. et Nieb. Hist. ant. II. p. 39—41. Quam ruinam Graeci vigoris certamine Spartae et Athenarum de principatu et rerum publicarum formis effectam praecipuam sententiam horum librorum esse vult Ulrici l. d. p. 309, plenius illustrans, quomodo ad hanc primam sententiam omnia sint relata. Hanc vim belli Peloponnesiaci a Thucydide perceptam esse apparere ex iis, quae de pernicie ex eo nata significet iam prooemii cap. 1 et 23; item ex imagine morum pravitatis III, 82 sqq. expressa et contraria descriptione auctae Atheniensium potentiae I, 89—118. His tribus maxime insignibus locis alia summa arte ad miseriam et atrocitatem illorum temporum adumbrandam composita se adiungere. Testem esse descriptionem pestilentiae, quae hanc ob causam longissima et accuratissima sit II, 47 sqq.; testem diligentiam magnam, quam calamitati Plataeensium exponendae scriptor tribuat III, 20—24, 52—68; item descriptionem perturbatarum rerum Corcyrae III, 69—81, IV, 46—48; colloquium Meliorum et Atheniensium V, 85—112; explicationem rerum adversarum Atheniensium in Sicilia VII, 50—87, alia similia. Non igitur, id quod Creuzer l. d. et iam Suevern censuerint, certamen ipsum de principatu Graeciae, sed ruinam rerum Graecarum esse argumentum historiae Thucydideae, qua ostendatur, quibus potissimum de causis imperium Atheniensium late patens corruerit, et res Graecorum universae labefactatae sint *. Ruinam illam imperii Atheniensium ex iniustitia eorundem repeti, quum ii plerumque res prosperrime gerant, qui iustitiam maxime colant (I, 42), et Lacedaemonii in priore belli parte ob arma inique mota se adversa fortuna usos esse crediderint (VII, 18), omnino iustitiae notione niti totam hanc historiam demonstrare aggreditur Lindemannus „Zur Beurtheilung des Thucydides vom religiös-sittlichen Standpunkte aus“ p. 14 sq. (p. 43 itera-

* Vide tamen quae contra dixerit Jungk de arte principum historicorum Graecorum p. 7 et 10.

tae editionis in libello, qui inscribitur „Vier Abhandlungen über die religiös-sittliche Weltanschauung). A Schlegelio cum magna et sublimi tragoedia historica comparatur, qua de re plura c. VIII exponentur.

Cap. III.

Thucydidem ad ea, quae scripsit, narranda fuisse maxime idoneum. Veritatis amor eius. Fueritne morosus aut ἄθεος, quaeritur.

Ad huius autem belli Peloponnesiaci res explicandas se idoneum fuisse Thucydides ipse V, 26 docet. Nam quum bellum incipiebat, non puer erat publica parum curans aut adolescens ad cupide iudicandum proclivis, sed per totum bellum vixit *αἰσθανόμενός τε τῇ ἡλικίᾳ καὶ προσέχων τὴν γνώμην*, de quibus verbis cf. ibi §. 5 adn.; neque in remotis regionibus degebat, sed in iis ipsis, in quibus certabatur, Attica (cf. II, 48) atque Thracia (cf. IV, 104—107 et Marcell. §. 25), fortasse etiam alibi (cf. ad Marcell. l. d. adn.); neque ob inscientiam vel ignobilitatem atque paupertatem a rebus bellicis alienus, sed et ipse dux exercituum (cf. l. IV. l. d.) et cum iis, qui rebus Graecorum tunc praeerant, vel genere (nam a Miltiade et Cimone ortus est, cf. Marcell. §. 2 et ibi adn. atque de altera eius cognatione, quam nonnulli suspicantur, ibid. §. 18 et ibi adn.) vel aliis necessitudinibus (velut magistri et discipuli vel condiscipuli, cf. de Anaxagora, Pericle, Antiphonte Marcell. §. 22 et ibi adn.) coniunctus; neque ob civitatis statum vel victus inopiam simulare atque dissimulare et tyrannis atque opulentioribus adulari coactus, sed liber in libera republica, et ob opes, quas possidebat (cf. IV, 105), ad alios beneficiis sibi devinciendos et nuntios undecunque accipiendos aptissimus. Cf. Marcell. §. 20. Idem res neque multo demum tempore interiecto literis consignavit, ne memoriam suam fugerent, sed statim exorto bello

coepit colligere, neque, quae adnotaverat, e vestigio in ordinem redegit et perfecit; sed complures annos praeterire, bellum ipsum componi et factorum causas atque eventus apertiores fieri voluit, priusquam extremam manum operi imponeret. Cf. cap. 1. Maxime autem profuit ei exsilium, idque duobus modis: primum quia sic facultas ei erat etiam ea, quae Peloponnesii de rebus gestis earumque causis narrabant, cognoscendi (cf. V, 26, 5 et ibi adn.); tum quia facilius omne partium studium exuit, quum patriae amor iniuria, quam acceperat, atque huius acerbitas memoria beneficiorum, quibus ab illa affectus erat, temperaretur.

Sed ut hae temporum opportunitates, ita animi virtus eum adiuvit, ut, quam primam constat esse historici virtutem, vera dicere et posset et vellet. Erat enim veritatis amantissimus (*φιλαλήθης* Marcell. §. 26) atque a magistris doctissimis et superstitione liberis institutus (cf. Marcell. §. 22), mentem ita excultam habebat, ut, per quos et quibus de causis res fingerentur, et quomodo vera a falsis discernenda essent, non ignoraret, atque ab superstitione omni caveret. Sibi enim hoc consilium fuisse affirmat, ut non, quae e quolibet audivisset, neque ut sibi visum esset, sed et ea, quibus ipse interfuisset et quae ex aliis comperta post accuratam disquisitionem vera esse intellexisset, ea memoriae proderet. I, 22, 2. Cf. Dion. Hal. p. 822. Ibi vero multis cum difficultatibus luctandum esse animadvertit, quum, qui singulis rebus interfuissent, non eadem de iisdem dicerent, sed prout quisque illas recordaretur vel alterutri factioni faveret. I, 22, 3. Eo magis religioni duxit non solum Athenienses, sed etiam Peloponnesios de rebus gestis consulere. V, 26. Add. Marcell. §. 21. Neque vulgi sermonibus neque poetis magnam fidem esse iudicat; illum enim non explorare, quae narrentur (I, 20), vetera admirari (I, 21), fabulis delectari (I, 22), suas res iactare (V, 68), hos omnia maiora et splendidiora reddere (*ἐπὶ τὸ μεῖζον κοσμεῖν* I, 21). Hoc tribuit etiam Homero (I, 10), atque omnino huius scriptoris, quem alii maximopere colebant, auctoritatem in historia sibi non satis magnam videri significat (*Ὅμηρος εἴ τῳ ἱκανὸς τεκμηριῶσαι*

I, 9. add. II, 41 et, ubi poetas nominans Homerum maxime in mente habet, I, 11 et VI, 2); quanquam in iis rebus, quae iusta ratiocinatione comprobari et cum antiquitatis natura consentire videbantur, non dubitat eius testimoniis uti (cf. I, 3 et 5), ne spernens quidem auctoritatem hymni in Apollinem scripti (II, 104 ubi cf. adn. De tota re add. Schunck l. d. p. 37 sqq.). Similiter logographorum, qui praeter poetas antiquarum rerum gestarum testes erant, vitia eum non fugisse ex I, 21 perspicimus, ubi de illo vocabulo vid. adn. Adde de Hellanico dicta I, 97. Potius igitur ipsa facta (αὐτὰ τὰ ἔργα) quam eiusmodi scriptorum testimonia in priscis rebus consideranda censet (cf. Creuz. Art. hist. p. 264, ed. 2. p. 205), cuius argumentationis exempla praeter prooemium habemus II, 15, VI, 55; sed praecipue id fecit in scribendo prooemio (I, 5 sqq. I, 9 sqq.), recordans tamen etiam ea, quibus ipse usus esset, indicia aliquid dubitationis relinquere (ἐκ τῶν ἐπιφανεστάτων σημείων, ὡς παλαιὰ εἶναι I, 21), et ex praesenti urbium statu si quis de praeteritis rebus coniecturam faceret, proclive ei esse errare. Idem addit aliquoties λέγεται, ὡς ἐλέγετο, similia (ut II, 77, III, 96 et in locis c. IV proferendis, cf. Schol. VIII, 50 et ibi in mai. edit. adn.), distinguit τὰ ἐς τὸ φανερὸν λεγόμενα a veris I, 23, facta a coniecturis VIII, 87, profert binas rerum narrationes I, 138, II, 5, caesorum numerum a se commemoratum non esse, quia multitudo, quae diceretur interisse, pro magnitudine civitatis incredibilis videretur IV, 113, et quantus exercitus fuisset, a se accurate doceri non potuisse V, 68 affirmat. Add. V, 74. VII, 87, 4.

Eiusmodi igitur scriptorem quis non videt in historia scribenda criticam artem exercuisse eiusque primum non solum inter Graecos, sed etiam inter reliquorum populorum scriptores auctorem esse? (Cf. Heerenii verba c. VIII.) Idemque eo magis laudandus est, quo magis hic sensus iis, quibus vixit, temporibus contrarius erat; quare neque ante eum quisquam ita scripsit, neque, qui per longum temporis spatium secuti sunt, satis magni eum aestimarunt aut imitari ausi sunt. Cf. Creuz. l. d. p. 208, ed. 2. p. 162.

Talem scriptorem ab ira et studio in alterutros alienum fuisse facile putabimus. Sed ea virtute ita eminuit, ut pauci eum aequent, nemo superet. Cuius rei manifestum indicium habemus statim in prooemio. Nam quum alii omnes Graeci scriptores antiquissimas res popularium suorum mirum in modum auxissent atque ornassent, Thucydides solus non dubitavit profiteri Graecos olim piraticam fecisse et omnino a barbaris nihil discrepuisse (I, 5 sqq.), eorumque res omnes atque etiam bella a poetis multum decantata tenuia atque vilia fuisse. Quod quanti faciendum sit et quantopere hac explicatione Thucydides omnibus aequalibus superiorem se praestiterit, facile intelligemus, si non solum in rebus diu praeteritis et fabulose narratis vera difficilius cognosci quam in praesentibus, sed hoc etiam plerisque Graecis, prisca sua facinora semper iactantibus, valde displicuisse et huic scriptori nomen φιλοβαρβάρου apud nonnullos conciliasse meminerimus. Sed eadem de causa ex hoc prooemio praestantissimum Thucydidis ingenium maxime elucere iure defenditur. Cf. Evers de Prooem. Thuc. p. 10. Quemadmodum autem in iis, quae ante eius tempora evenerant, Graecos prae barbaris non extollit, ita bello Peloponnesiaco neque Atheniensium neque Peloponnesiorum studiosus est. Quod iam ex iudiciis veterum grammaticorum inter se pugnantibus colligi potest. Nam ut Scholiasta ad I, 22 verba οὐδ' ὡς ἐμοὶ δοκεῖ eum φιλαθήναιον δοκεῖν dicit et ad I, 10 init. (Λακεδαιμονίων γὰρ) καταρᾶσθαι τοῖς Λακεδαιμονίοις λεληθότως affirmat, ita incertus vitae eius scriptor §. 4 Δοκεῖ, inquit, πολλὰ χαρίζεσθαι μὲν Λακεδαιμονίοις, κατηγορεῖν δὲ Ἀθηναίων τὴν τυραννίδα καὶ πλεονεξίαν. Sed ut ille ab altero Scholiasta ad I, 10 verba Ἀθηναίων δὲ τὸ αὐτὸ τοῦτο παθόντων satis refutatus est, qui illa Λακεδαιμονίων ἡ πόλις εἰ ἐρημωθείη non esse nisi ἐξ ὑποθέσεως dicta ostendit, ita, quae hic ad rem comprobandam addidit, redargui sine negotio possunt. Nam quod Atheniensium iniustum in socios imperium et avaritiam reprehendit, aut adversariorum verbis aut iure hoc facit, nec tacet eorum virtutes, immo has laudatione funebri Periclis atque in orationibus legatorum Atheniensium l. I et VI splendide exornat; nec Lace-

daemoniis magis parcit, sed hos appellat verbis oratorum socordes, lentos, rerum imperitos, prisci moris nimis studiosos I, 69—71, difficiles accessu atque inhospitales I, 77, 144, suspiciosos II, 39, morosos atque civibus molestos II, 37, aliaque eorum vitia et peccata, ut nefandam Helotarum caedem IV, 80, aliquot locis recenset. Sicut autem incerto vitae Thucydidis auctori fides haberi non potest, quum de eius in Athenienses iracundia loquitur, minus etiam hanc fidem postulabit Dionysius p. 774 memorans Thucydidis διάθεσιν τῆς ψυχῆς τῇ πατρίδι τῆς φυγῆς μνησικακοῦσαν et p. 920 similia repetens. Hic enim non solum argumenta non protulit, sed sibi ipse repugnat, quum p. 824 sq. omni invidia et adulatione Thucydidem abstinuisse dicat, idque pluribus persequatur atque exemplis illustret. Quorum tamen id, quod maxime perspicuum erat, praetermisit. Exsilium enim suum Thucydides breviter et ita, ut nullam in quemquam accusationem addat, significat V, 26; immo qui eius auctores fuerant, Cleon apud Athenienses (Marcell. §. 46) et Brasidas inter Lacedaemonios (cf. ad Marcell. §. 23), ex iis hunc praeclare laudat IV, 81 et usquequaque virum fortissimum et maxime strenuum nobis proponit; illum autem quod et verbis III, 36, V, 16 et rebus, quas de eo narrat, vituperat, id odii causa factum dicens Marcellinus §. 46, in cuius partes nuper concessit Grotius Hist. Gr. VI. p. 476 sqq. 631 sq. 660 sq. (interpr. III. p. 584. 669. 685.), iniuriosus profecto in Thucydidem est, qui nihil aliud fecit, quam quod res ipsa postulabat, quod ex Aristophane, Plutarcho aliisque scriptoribus notissimum est. Cf. Rancke de Aristoph. p. CCCLXXXVI sqq. Quamobrem alibi (§. 26) contrarium apud ipsum Marcellinum legitur. Cf. Plut. de Malign. Herodot. p. 395. Reisk. Sed rursus probari non potest quod apud Marcell. §. 18 tradit Hermippus, quoniam a Pisistratidis genus duxerit Thucydides, invidere eum Harmodio atque Aristogitoni, docentem non fuisse eos tyrannicidas. Cf. ibi et ad VI, 54, 5 adn. Hic vero etiam commemorandum est fuisse, qui Thucydidem libentius de malis atque tristibus rebus quam de laetis et bonis loqui contenderent. Quod idem Tacito crimini vertunt. Sed quomodo quis laeta explicare aut sermone hilari uti potest,

si res ei narrandae sunt atroces, nec quicquam fere evenit, quod exhilaret hominem patriae amantem et virtutis? Temporum igitur istorum, non Thucydidis culpa factum est, ut in eius historia non multa iucunda reperiantur. Nam ipse severus quidem fuit, quod decet viros probos tam miseris temporibus viventes, neque tamen iniquus in homines. De universa natura humana quae senserit, discas ex Kortuemii libro Zur Gesch. d. Hell. Staatsv. p. 191 sqq. et ex Heinickii Anthropologicis Thucydidis maximam partem psychologicis. (Rastenb. 1834.) Add. Steinhausen „de Thucydidis ratione theologica et philosophica“ p. 29 sqq. Scribit sane III, 82: *Καὶ ἐπέπεσε πολλὰ καὶ χαλεπὰ κατὰ στάσιν ταῖς πόλεσι, γιγνόμενα μὲν καὶ ἀεὶ ἐσόμενα, ἕως ἂν ἡ αὐτὴ φύσις ἀνθρώπων ᾖ κ. τ. λ.*; et dicit homines in iactationem (V, 68), spes inconsideratas (IV, 108), avaritiam et ambitionem (III, 82, VIII, 49) pronos atque, si capite suspecto uti licet, irae impotentes atque invidos (III, 84) esse. Plura eiusmodi in orationibus leguntur, praecipue in Diodoti, ubi III, 45 homines *πεφυκέναι* et privatim et publice peccare, nec ulla lege aut auctis poenis ab hoc arceri audimus, et cupidatum origines atque progressus discimus. Sed praeterquam quod haec Diodoti sunt verba, ecquis ea de vulgo hominum negaverit vera esse? Immo aequitatem et facilitatem Thucydidis laudat Plutarchus l. d. Maxime moderatio eius in rebus publicis apparet. Nam ut orationibus et paucorum et plebis imperii effrenati incommoda exposuit (cf. ed. mai. I. 2. p. 28 sqq.) atque utrorumque duces speciosa vocabula praetendentes suis commodis prospexisse dicit III, 82, ita et Periclis administrationem rerum publicarum egregie laudat vituperans proximos concionatores II, 65, et vitia tam vulgi quam optimatium sibi non ignota esse significat iudiciis VI, 63, VIII, 1, 48, denique sibi ipsi temperatam rempublicam, qualis Athenis tum fuit, quum penes quinque milia civium fuit potestas, praecipue probari haud obscure significat VIII, 97. Cf. ibi adn. et Kortuem „Die Stellung des Geschichtschr. Thucyd. zu den Parteien Griechenlands.“ Bern 1833. In iis solis, quae de Antiphonte iudicat, pietati fortasse nimis indulsit. Cf. adn. VIII, 68, 1.

Stat igitur sententia neque gratiam in alterutros neque odium aut acerbitatem cadere in hunc scriptorem. Sed hic veritatis amor ita demum id, quod vult, efficiet, si eum iudicii acumen, variarum rerum cognitio, liberalior quidam sensus adiuvabunt. Quae fuerunt utique in Thucydide. Nam ut ratio, qua veterem Graecorum historiam perscrutatus est, qua causas belli Peloponnesiaci exponit, qua de populis et viris principibus iudicat, qua tumultus Corcyraei et seditionum omnium naturam describit, atque alia sexcenta acre et subtile iudicium demonstrant: ita illa ipsa, quae de antiquis Graecorum rebus et in prooemio et in aliquot locis libri primi atque etiam secundi et sexti tradit, eum Graecae antiquitatis maxime gnarum fuisse atque praecipuorum poetarum et scriptorum, ut Homeri (cf. Ind. nom.), aliorum poetarum (II, 29), Hellanici (I, 97), Herodoti (quem a Thucydide tecte notari affirmat Scholiastes I, 20, 21, 22, contra quem disputans scripta Herodoti nota Olori filio fuisse negavit quidem Dahlmann, cf. adn. I, 20, sed adversus eum bene disseruit Salomo de Thuc. et Herodoto Quaest. hist. p. 14 sqq.), fortasse etiam Antiochi Syracusani (vid. Goeller. de situ et origine Syrac. p. IX sqq. et adn. ad VI, 1) libros legisse; quae de Thraciae, Aetoliae atque Acarnaniae, Siciliae populis et pagis (l. II extr. III extr. VI init.), de Sphacteria IV, 8, de Amphipoli eiusque vicinia IV, 102—108 et V, 10 scribit, eum situs et naturas terrarum investigare studuisse; quae de oppugnatione et obsidione Plataearum (II, 75 sqq. III, 21 sqq.), de proeliis navalibus Phormionis (II, 83 sqq.), de pugnis in Sicilia commissis (l. VI et VII) aliisque rebus bellicis narrat, artis militaris peritissimum fuisse; quae de pestilentia Atticam vastante atque iis rebus, quibus tunc vulgo deorum singulare numen portendi videbatur, sentit, corporis humani structuram, animi indolem, rerum naturam, quantum quidem illa aetate fieri posset, inquisivisse declarant. Postremo quoniam superstitionis, rectum iudicium maxime impedientis, crimen iure ab eo propulsatur, paululum in eo subsistendum videtur. Huc praeter ea, quae Kortuem („Zur Gesch. Hell. Staatsv.“) p. 199 sqq. exposuit, pertinent libelli Wigandii

(„Ueber das religiöse Element in der geschichtl. Darstellung des Thuc." Berol. 1829), Lindemanni („Zur Beurtheilung des Thuc. vom religiös-sittlichen Standpuncte", Conitz 1837), Steinhausenii („De Thucydidis ratione theologica et philosophica"), denique Klixii („Thukydides und die Volksreligion", Züllichau 1854). Consideranda igitur primum quae de vaticiniis et portentis scribit. Cf. Rosch. de Vit. Thuc. p. 220 sqq. Et interdum quidem res ab hominibus in religionem tractas ac deorum interventui tributas esse narrat iudicio non interposito. Vid. I, 128, II, 8, IV, 116. Quod praecipue fit in responsis oraculi Delphici (I, 25, 103, 118, 123 al.), quae ad res Doriensium magnum momentum habuisse constat. Sed alia vaticinia quanquam multa per bellum Pelop. edita sunt II, 8, 21, tamen et raro eorum mentionem facit, et identidem non sine reprehensione. Vid. V, 26, VIII, 1 et quae Athenienses loquantur V, 103. Atque ipsa oracula ambigua et incerta esse ostendit I, 126, II, 17, 54. Quumque pestilentia Athenas invasisset, etsi fuerunt, qui eam ab Apolline immissam arbitrarentur, qui quidem ineunte bello Lacedaemoniis se adiutorem fore promisisset I, 118, II, 54, Thucydides de causis huius luis non audet ipse quidem certum iudicium facere, sed ortam eam in Aethiopia credit II, 48. Deinde quae ex antiquis temporibus de eiusmodi morbis, de terrae motibus, solis defectibus, similibus eventis commemorarentur, ea raro re ipsa comprobata esse I, 23 censet. Quanquam vero ibidem eiusmodi res una cum bello Pelop. ingruisse affirmat, eo, nisi scriptorem sui immemorem, dum haec scriberet, populi erroribus imbutum esse coniicias, non potest probare velle illas et bello gestas res vere connexas et aptas inter se esse, sed tantum admonere lectores, quod tempus pugnis atque rerum publicarum commutationibus, idem talibus casibus forte fortuna insigne factum esse. Docent hoc ea, quae alibi iudicat, quum terrae motum Delium *dictum et visum esse* rerum futurarum prodigium scribat II, 8, sed ipse haud obscure talia ex constantibus naturae legibus repetat, atque solem sub interlunia solum deficere posse II, 28 et maris inundationem ex terrae tremore explicandam esse III, 89 statuat.

Adde etiam locum de lunae deliquio VII, 50 maxime memorabilem propter ea, quae Plutarchus scribit Nic. c. 23, et quod auctor ipse Niciam nimis θειασμῷ addictum fuisse adiicit; item quae de tonitribus VI, 70 et VII, 79 exponuntur. Similiter rebus bellicis et civilibus Thucydides deos non immiscet, nec, ut Herodotus, loquitur de eorum vel invidia (nisi quod Niciam, superstitiosum hominem, dubitanter de ea facit loquentem VII, 77, 3) vel odio (quod odium vel Tacitus saepe commemorat), aut de vi fati (quo an forte res mortalium volverentur, idem Tacitus dubitabat), sed omnium factorum causas ex hominum ipsorum consiliis atque studiis repetit. Ita funestum belli exitum Atheniensium cupiditatibus et stultitia effectum esse ait II, 65, et Lacedaemoniorum fiduciam auctam esse docens conscientia honestatis atque iustitiae causae, quam defenderent, VII, 18 non commemorat deos laesorum foederum vindices, quibus haud dubie ipsi Lacedaemonii confidebant. Add. Creuz. Thuc. et Herod. p. 43 sqq. et Ulric. l. d. p. 201 sqq. Non abhorret igitur a fide quod Marcellinus §. 22, Antyllo teste utens, scribit, Thucydidem, pariter atque praeceptorem eius Anaxagoram, habitum esse ἄθεον. Quod ea notione, qua Athenis dicebatur, ubi patriorum deorum contemptorem plerumque significabat, tantum abest ut ei crimini sit, ut a superstitione alienum eum fuisse testetur. Cf. Gail. Mémoire sur Thucyd. p. 4. Aliter tamen iudicat Ulrici p. 199 sqq., qui Thucydidem de divina rerum humanarum gubernatione tacere demonstraturus rectius illum locum VII, 18 quam alterum I, 22 videtur proferre potuisse. Hanc tamen opinionem de Thucydide conceptam falsam esse probare conatur Roscher de Vit. Thuc. p. 225 sq. Nam quanquam nihil inde colligi possit, quod plerumque simpliciter ἀνεῖλεν ὁ θεός de oraculis Apollinis dicat, Niciae pietatem ab eo magni aestimari VII, 86 (ubi tamen τὴν πᾶσαν ἐς ἀρετὴν νενομισμένην ἐπιτήδευσιν ex optimorum librorum auctoritate nunc commemorari videmus), priscum ius, quo subverso ipsa patria subversa videatur, appellari ius divinum III, 82 (quae non continentur verbis τὰς ἐς σφᾶς αὐτοὺς πίστεις οὐ τῷ θείῳ νόμῳ μᾶλλον ἐκρατύναντο ἢ τῷ κοινῇ τι πα-

ϱανομῆσαι), imminutam pietatem effectum pessimum pestilentiae existimari II, 52 sq. (ubi deorum metu sublato delicta aucta esse dicit, quod, etiamsi ipse deos esse non crederet, scribere potuit, sicut quae de vi sacramentorum neglecta II, 82 sq. leguntur). Neque inficiamur propter illa dicta verisimile esse pietatem nitentem cultu deorum a Thucydide magni aestimatam esse. Cf. Klix. l. d. p. 2 sqq., qui postquam, quae de sacrificiis, ceremoniis, reliquis religionibus apud Thucydidem legerentur, p. 9 enumeravit, nullum quidem usquam de pretio harum rerum a scriptore ipso iudicium factum esse, sed credibile non esse eum aliter de iis sensisse atque Euripidem et Platonem, qui consuetudinem civitatis servandam censuerint, exponit. Idem Thucydidem a popularibus in rebus divinis eo praecipue dissensisse, quod et doctrinae fabulari, de qua in proximo capite dicemus, omnem speciem divinitatis detraxisset, et quod, quam rem modo illustravimus, pro naturae viribus deos non substituisset, explicavit p. 23 sqq. Ceterum quatenus deos numenve divinum (τὸ ϑεῖον, cf. adn. VII, 77, 4) consulere rebus humanis Oroli filius crediderit, parum est perspicuum. Providentiam divinam ab eo non negari Roscher studuit demonstrare p. 195. Ubi postquam vim humana ampliorem a Thucydide plerumque τύχην vel τύχας nominari dixit, hanc fortunam ab eo in deorum potestate esse existimari ex II, 64 putat apparere; nam ibi τὰ δαιμόνια contrario nomine opponi τοῖς ἀπὸ τῶν πολεμίων. Sed ibi Pericles opinionibus vulgi Atheniensium convenienter loquitur, qui luem (nam haec, non, quod Roscher fingit, inevitabilis interitus civitatis Atheniensium, τῶν δαιμονίων voce significatur) ab Apolline immissam arbitrabatur II, 54. Similiter Niciam τὰ ἀπὸ τοῦ ϑεοῦ sperare se magis propitia habituros non mirum est. Vid. VII, 87, 4 et ibi de τοῦ ϑεοῦ adn. Omnino, quae oratores apud Thucydidem dicant, ab ipsius scriptoris iudiciis diligenter discernenda esse ex proximo capite apparebit. Conciones si respicimus, maxime memorabile vel propterea, quod in eo sermone plures sententias quam in aliis orationibus ipsi Thucydidi tribuendas videri paulo post patefiet, est colloquium Meli habitum. Nam ibi Melii quidem

fortunam τῷ θείῳ subesse affirmant. Vid. V, 112, 104 et ibi adn. Sed Athenienses, ἡγούμεθα, inquiunt, τό τε θεῖον δόξῃ τὸ ἀνθρώπειόν τε σαφῶς ... ὑπὸ φύσεως ἀναγκαίας ... ἄρχειν V, 105, in quibus diversa δόξῃ et σαφῶς negligenda non sunt. Cf. adn. Alibi vero in orationibus simpliciter fortunae vis, qua res improviso eveniant (quam fortunam, quotiescunque aliquid praeter rationem accidat, accusari solere dicit Pericles I, 140) agnoscitur, eaque superior esse dicitur consiliis humanis VI, 64 (in orat. Hermocr.) VI, 78 (item). Atque ipse scriptor de ἀνθρωπείοις τοῦ βίου παραλόγοις VIII, 24 loquitur secundum illos locos tribuendis fortunae. Neque tamen potestas huius tanta videtur, quantam effugere non queamus. Cf. Lindem. l. d. p. 13, ed. 2. p. 41 (qui de fortuna insuper comparari iubet I, 78, 84, 120, 122, al.), Steinhaus. p. 23 sqq. et quae de ratione fati, fortunae, libertatis humanae disseruit Weissenb. ad Liv. Prolegom. p. 16 sq.

Cap. IV.

Vera dixisse Thucydidem ita ostenditur, ut simul refutentur ea, quae contra moneri possint, ac maxime de fabulis et orationibus huius historici disputetur. Adiiciuntur nonnulla de aliis scriptoribus easdem res narrantibus.

Dixisse autem Thucydidem vera ut per se, siquidem hoc facere et voluit et potuit, naturae consentaneum est, ita quum iis, quae literis mandavit, tum aliorum scriptorum testimoniis probari potest.

De his vid. ed. mai. I. 1. p. 41, ubi attulimus verba aut auctoritates Dionysii p. 824, Ciceronis in Bruto c. 83, Luciani de hist. conscr. c. 43, aliorum *. Et quum diversae de rebus Themistoclis exstarent narrationes, Cornelius Nepos

---

* Locus Aphthonii Progymn. est l. I, c. 8, p. 90. vol. I. Rhet. Walz.

Thucydidi potissimum credendum putavit. Vid. Nep. Themist. c. 9. Nihili igitur faciendum quod Iosephus contra Apionem I, 3 vel Thucydidem, quanquam maxima cum diligentia historiam conscripsisse videatur, mendacii a nonnullis accusari contendit. Nam Iosephus iste omnibus Graecis scriptoribus obtrectat et veram historiam solos apud Iudaeos suos quaerendam esse statuit. Adversus duos alios Thucydidis obtrectatores satis dixit Vischer in Mus. Helvet. a. 1839 p. 3 sqq.

Licet igitur iam contemplari, quatenus ex rebus ipsis, quas narrat, vera ab eo dicta esse intelligamus. Ibi vero et ad earum naturam, et ad aliorum scriptorum de iisdem narrationes respiciendum est. Nam si res perscriptae tales sunt, quales et potuerint fieri, et factas esse per temporum ac locorum conditiones atque ea, quae deinceps secuta sunt, verisimile sit, nisi aliunde suspiciones oriuntur, de scriptoris fide non est quod ambigamus. Quum igitur nonnulli in scriptis Thucydidis aliqua reperisse sibi visi sint, quae per se parum sint probabilia, haec qualia sint, examinandum erit.

Ac primum quidem, quod sunt qui, ut Doxopater ad Aphth. II. p. 147 ed. Walz., ne Thucydidem quidem omnibus fabulis (μύθοις) abstinuisse affirment, hoc quo iure dicatur, exploremus. Res autem per se neutiquam probabilis est, quum Thucydides aliquoties τὸ μυθῶδες aliorum scriptorum reprehendat (I, 21, 22) atque complures opportunitates fabulas narrandi (ut in prooemio et in oratione funebri, cf. ibi adn. ad II, 36, 4) praetermiserit. Quare Marcellinus §. 48, Ἔστι δέ, inquit, τοῖς μύθοις ἐναντίος κ. τ. λ. Sed etiam fabulas afferre et potest et debet historicus, si vim quandam habuerunt ad hominum sensa et facta, vel etiam quum loquitur de antiquissimis temporibus, ubi saepe vera historia in fabulis recondita est. Qua in re a fictionibus poeticis distinguendae sunt eae de antiquissima historia Graecorum divulgatae narrationes, quae initio videbantur fama traditae, deinde a poetis conscriptae et exornatae esse. Eas quanquam recentissimi critici commentitias esse demonstrare sunt aggressi, inter Graecos summas earum, quibus omnia historiae primordia continerentur, in dubium vocare nemini in mentem venit;

sed qui, ut Thucydides, subtilius iudicabant, quae rerum naturae repugnare atque in maius aucta viderentur, tollere conabantur. Ita Hellenem atque eius filios aliquando in Phthiotide vixisse certum est Thucydidem credidisse, quia inde, quo modo factum sit, ut Graeciae incolae olim inter se non coniuncti in unam gentem coalescerent, explicare studet I, 3. Similiter Cecropis, belli inter Eumolpum et Erechtheum gesti, Thesei regni ita mentionem facit II, 15, ut, quum iis, quae commemoret, pristinum statum Atticae explicare velit, non dubitavisse eum de illis certum sit. Minois res quanquam auditione acceptas esse significat I, 4, tamen de eius imperio maris ibidem et c. 8 ita loquitur, ut res narratas ipsi veras visas esse appareat. Tum de Pelope eiusque posteris quae I, 9 afferuntur, ea ait niti sermonibus *τῶν τὰ σαφέστατα Πελοποννησίων μνήμῃ παρὰ τῶν πρότερον δεδεγμένων*. Belli Troiani res etsi ab Homero valde amplificatas esse suspicatur I, 10, tamen praecipua facta illius belli vera esse sibi fuisse persuasissimum tota argumentatione I, 8 sqq. satis declarat. (Cf. IV, 120 et VI, 2 de Achaeis ex hoc bello redeuntibus breviter dicta.) Sed quid hoc mirum est, quum ne hodie quidem post plurimas et subtilissimas de primordiis historiae Graecorum disputationes, quae in his vera, quae falsa sint, inter homines doctos constet, et Grotius in Hist. Gr. haec omnia simpliciter narrare quam explicare maluerit? De tota hac quaestione cf. Arnold. Praef. vol. III. et Grot. l. d. I. p. 542 sqq. (interpr. Germ. I, p. 321 sqq.). Ceterum etiam hic Thucydides historicum suo nomine dignum, de quo nonnulla huc pertinentia praecipit Lucianus de conscr. hist. §. 60, se praebuit. Nam si a prooemio, quod paene totum ad tempora fabulosa spectat, discesseris, et parce (praeter II, 15, si hunc locum huc referendum censes, maxime I, 25, II, 29, 68, 102, III, 88, IV, 24, VI, 2) atque omissis commentis ineptis et incredibilibus (nisi quod Procnen in lusciniam mutatam his verbis, *πολλοῖς δὲ καὶ τῶν ποιητῶν ἐν ἀηδόνος μνήμῃ Δαυλιὰς ἡ ὄρνις ἐπωνόμασται*, obscure significat II, 29) ad eas respicit et de fide earum dubitandum esse adiecto *λέγεται* similibusve verbis aliquoties significat

(II, 102, III, 88, IV, 24, VI, 2), et aut ad antiquiorem statum argumentando cognoscendum vel ad recentiores res gestas illustrandas adhibet, ut in exemplis, quae supra protulimus, omnibus et in iis, quae de Phaeacibus, Tereo et Procne, Amphilocho dicta sunt (cf. ed. mai. I. 1. p. 44 sq.), aut, quae iis subiectae sint sententiae, inquirit. Hoc fecit in fabulis prorsus poeticis. Ita admonens incolas insularum Aeoliarum putare Vulcano in Hiera insula esse officinam, hanc opinionem cur paucis indicaverit, ipse significat, addens verba *ὅτι τὴν νύκτα φαίνεται (ἡ νῆσος) πῦρ ἀναδιδοῦσα πολὺ καὶ τὴν ἡμέραν καπνόν* III, 88; voluit igitur patefacere, quid hoc esset, sicubi Vulcanus opus facere traderetur. Cyclopas autem non appellat huius dei operas fabriles luscas, sed tantum eos et Laestrygones partis cuiusdem Siciliae antiquissimos incolas existimari, sibi tamen neque eorum genus, neque unde illuc immigraverint aut quo abierint, notum esse, ideoque unicuique liberum de iis relinqui iudicium scribit VI, 1. Hoc vero antiquitates Siciliae tractanti non licebat prorsus praeterire. Idem denique Charybdim memoravit atque eam a poetis dixit in freto Siculo collocari et Ulixem tradi pervectum esse, quoniam (quod ipsum addidit) hoc propter angustias et duorum marium concursum periculosum esset IV, 24.

Haec de fabulis. Sequuntur orationes eo magis hic spectandae, quod et multae sunt atque longae, et totius moris orationes in rerum gestarum narrationes recipiendi Thucydides quodammodo auctor est. Nam interposuit quidem iam Herodotus historiae suae nonnullas orationes, sed hae ut breviores, ita sermonum et confabulationum nomine potius dignae sunt. Cf. Creuz. Art. histor. p. 165 (ed. 2. p. 130), Wachsm. Historiogr. p. 135. Verum conciones accuratas et perfectas Thucydides primus exhibuit. Cf. Marcell. §. 38 deque earum generibus §. 42. De universis videantur Meierotto de Thucydide in Commentationibus Reg. Soc. Berolin. Germanicis a. 1788, qua commentatione paene tota Thucydides orator depingitur; Meditationes criticae de orationibus Thucydideis scriptae a Pfau. Quedlinb. et Lips. a. 1836 (contra quem nonnulla disseruit Vischer in Mus. Helvet. a. 1839); Tiester

annorum expugnatione Athenarum finitum, quod vulgo Peloponnesiacum vocatur, et ex V, 26 et ex singulorum annorum enumeratione, qua narratio rerum usque ad vigesimi primi anni huius belli aestatem (VIII, 60, 61, 109) perducta est, ita visum est constare, ut usque ad hanc aetatem nemo de ea re dubitaverit. Per se tamen illa verba esse ambigua, *iisque* et nomine huius belli (τούτου τοῦ πολέμου et τοῦδε τ. π. I, 8, 13, 18, 19, 21, al.) totum Peloponnesiacum designare Thucydidem proprie, quum haec scriberet, nec voluisse nec potuisse Ullrich eo libello, quem *supra* nominavimus, p. 3 *sqq.* aggressus est demonstrare. Fuisse enim complura alia bella, quae aeque recte Atheniensium et Peloponnesiorum appellarentur, ante id, de quo Thucydides loqueretur, certe duo, Cleomenis in Atticam irruptionem a. 507 factam et arma a Plistoanacte a. 446 Atheniensibus illata. *Deinde*, etiamsi de his antiquioribus, quae intelligenda non esse scriptor I, 23 et alibi ostenderet, non cogitaremus, paulo ante compositam hanc historiam duo fuisse bella Atheniensium et Peloponnesiorum, id, quod pace Niciae, et id, quod Athenis captis confectum esset. Haec duo bella a *vetustioribus* scriptoribus, Platone in Menex. p. 242 a—e, Andocide de pace p. 24, 9, Aeschine de fals. legat. 51, 176, clare discerni. Alterum ab Isocrate (Plat. 302, 31 et de pace 166, 37)*, Demosthene (de cor. 258, 96, adv. Androt. 597, 15, adv. Eubul. 1304, 18), Aristide (Leuctr. IV, 460, 12), Trogo Pompeio (Prol. l. V) Deceleicum (Δεκελεικόν) vocari, quam appellationem etiam a Diodoro (XIII, 9), Strabone, compluribus lexicographis commemorari. (Cf. Wass. et nos in ed. mai. ad VII, 18, 27, 69.) A Thucydide bellum posterius (τὸν ὕστερον ἐκ τῆς ὑπόπτου ἀνακωχῆς πόλεμον V, 26, τὸν χρόνῳ ὕστερον μετὰ τὰ ἐκ Σικελίας πόλεμον IV, 81) dici. Partes eius esse bellum Siciliense (*τὸν Σικελικὸν πόλεμον τοῦτον*) VII, 85 et bellum Ionicum VIII, 11. Inter pacem Niciae et renovatum certamen Atheniensium et Peloponnesiorum nominari τὸν *Μαντινικὸν καὶ Ἐπιδαύριον* πόλεμον V, 26. Denique superius bellum ab impetu a Thebanis in Plataeenses facto usque ad Niciae pacem gestum a Thucydide vocari primum hoc bellum, prius bellum, primum *bellum* de-

cenne, etiam simpliciter bellum [illegible]
τόνδε V, 20, τὸν πρότερον πόλεμον VII, [illegible]
χοντα πόλεμον ἐκ Πελοποννήσου VII, [illegible]
τὸν πρῶτον πόλεμον [illegible] V, [illegible]
λεμον τὸν δεκετῆ V, 26, τὸν [illegible]
loponnesiis appellatum esse bellum [illegible]
πόλεμον V, 28, 31, τὸν πρὸς Ἀθηναίους πόλεμον [illegible]
rodoto Peloponnesiorum et Atheniensium [illegible]
καὶ Ἀθηναίων πόλεμον VIII, [illegible]
τὸν πόλεμον τὸν [illegible]
ναίοισί τε καὶ Πελοποννησίοισι [illegible]
verba contracta alii [illegible]
Apostolius repetunt [illegible]
δάμιον πόλεμον, cf. [illegible]
aequalium de rebus [illegible]
cessarium existimasse V, 26 [illegible]
septem annorum fuisse. [illegible]
riae illius temporis [illegible]
sententiae defensione [illegible]
posset eam non unam esse [illegible]
tis consideraret. [illegible]
stituendo omnes cum illo [illegible]
historicos Thucydidis bellum [illegible]
primum quidem Xenophontem [illegible]
ad illius exemplum [illegible]
27 de πολέμῳ τῶν Ἀθηναίων [illegible]
ξυμμάχους in universum cum Thucydide [illegible]
II, 6, 2. Septem et viginti [illegible]
etiam Dionysium Hal. de Thucyd. [illegible]
siacum autem ex [illegible]
doro primo XII, [illegible]
conscribendo Thucydidem [illegible]
fontes consuluisse, ex [illegible]
decem annorum bellum [illegible]
Strabone XIII, 600. [illegible]
a Pausania III, 7, [illegible]
Ἀθηναίων πόλεμον, IV, 6, [illegible]

(Ueber die Reden des Thukydides, Pos. 1854), Langreuter (Num orationes Thucydidiae re vera habitae sint, Cell. 1853), item Roscher de Vit. Thuc. p. 144 sqq. Brevius de iis dixerunt Creuzer Art. histor. p. 275 sqq. (ed. 2. p. 213 sqq.), Kutzen Pericl. p. 146 sqq. et interpretes Thucydidis, velut Bloomf. I. p. 51 sq. Eas conciones non prorsus ita, ut a Thucydide confectae sunt, sive verba sive sententias respicimus, habitas esse, quemadmodum iam comparatis iis orationibus, quae apud alios historicos exstant, probabile fit, ita quum ex universa ratione, qua compositae sunt *, et arte oratoria (cf. Pfau. l. d. p. 10 sqq., ubi tamen quinas orationum Thucydidearum partes esse, exordium, narrationem, propositionem, contentionem seu probationem, perorationem minus recte docetur), tum e dicendi genere, quod et idem in omnibus est, et vocabulis, verborum compositionibus, figuris colorem Thucydideum usquequaque refert, tum ex eo, quod ne facultas quidem scriptori fuit multas harum orationum calamo excipiendi, apparet. Cf. Hobb. interpr. p. 72 et Meierott. l. d. p. 184 sqq. et infra Pfarr. Haberemus adeo certum eius rei testimonium, si sententiam, quam Aristoteles (Rhet. I, 7, III, 10) ex Periclis laudatione funebri affert, ex ea, quam Thucydides huic II, 35 sqq. tribuit, ubi non leguntur verba *τὴν νεότητα ἐκ τῆς πόλεως ἀνῃρῆσθαι, ὥσπερ τὸ ἔαρ ἐκ τοῦ ἐνιαυτοῦ εἰ ἐξαιρεθείη*, depromptam esse constaret. At eam petitam esse ex Periclis oratione post Samum expugnatam

---

* Tractatur non raro *τὸ δίκαιον*, *τὸ συμφέρον*, *τὸ δυνατόν*. Vid. Longin. Reliqu. 26, 16. „Ex [qualibus] locis Thucydidis orationes elaboratas esse constat, et optime scholiasta ad I, 32: *ἡ τοῦ Κερκυραίου δημηγορία μᾶλλον τὸ συμφέρον προβάλλεται ἢ τὸ δίκαιον, ἡ δὲ τοῦ Κορινθίου μᾶλλον τὸ δίκαιον ἢ τὸ συμφέρον*· et de Cleonis et Diodoti orationibus III, 42: *ἰστέον δὲ ὅτι ὁ μὲν Κλέων τὸ δίκαιον προβάλλεται, οὗτος δὲ ὁ Διόδοτος τὸ συμφέρον* ... Cf. ad I, 73, II, 11, III, 9, 37. Similiter Plataeenses III, 53—59 *τῷ δικαίῳ* utuntur contra Thebanos (61—67) et pro virili etiam *τῷ συμφέροντι*, atque in his locis exornandis Thucydidis ars a sophistis et rhetoribus tradita imprimis elucet.“ SPENGEL. ad Anaxim. Art. rhetor. p. 105. Cf. nos ad I, 32, III, 54 al.

habita rectius statuere videntur Goettlingius ad Aristot. Polit. p. 328 et Weber de laudat. fun., etsi huic obloquitur Roscher l. d. p. 152; sed vid. Langreut. p. 15. Quomodo igitur Thucydides, quomodo tot alii veteres historici, qui veritatis studiosissimi iudicantur, fictas orationes libris suis inserere potuerunt? Id factum non mirabimur, modo consilia spectemus, quae scriptores in his orationibus componendis habuerint, in eo posita, ut vere habitas imitarentur et vitam publicam exprimerent. Continentur enim iis aut descriptiones civitatum formarum atque commodorum et incommodorum ex iis orientium, aut adumbrationes ingeniorum atque morum populorum et virorum principum, aut expositiones, cur aliquid suscipiendum atque cur et quomodo laetus eius eventus sperandus, vel vicissim cur aliquid male gestum sit, omnino quae commentatus est scriptor de rerum rationibus hominumque consiliis. Qualia nostri historici suis verbis solent explicare. Quod aliquoties fecit etiam Thucydides. Cf. I, 138, II, 65, III, 82 sqq., IV, 81, V, 14 sqq., VI, 15. Nonnunquam idem concionum summas sententias oratione obliqua affert. Cf. Prolegom. l. VIII, p. 8. Plerumque tamen, ut alii veteres, ipsos homines, quorum facta narrantur, loquentes inducit. Et bene quidem utrique, tam veteres quam recentiores, pro temporum diversitatibus. Tunc enim de rebus gravissimis apud populum verba faciebant oratores, ad milites concionabantur duces, nec quicquam erat, quod quidem omnium civium interesset, de quo, si non publice disputatum est, non posset certe disputari. Facile igitur illius temporis historicis, quae de rerum causis atque eventibus sentirent, orationibus licebat commendare. Commendatio enim sane haec est, quod hac ratione scribendi historia scenicae poesi, cui hoc opus iam in nonnullis rebus comparandum esse c. II et VIII docuimus, similior fit, quum homines agentes quasi oculis cernere eorumque verba auribus percipere nobis videamur; et quod in orationibus plura dicendi artificia et praecipue maior sermonis vis ac splendor conceduntur: quo efficitur, ut non ieiunae atque languidae sint veterum, ut saepe nostratium, commentationes eiusmodi, sed animos commoveant atque de-

lectent. Simul ita facilius atque etiam clarius quam copiosis disputationibus natura concionum et summa, quae tunc iis erat, vis depinguntur. Neque vero habitarum orationum ipsa verba interponere poterant. Nam „publicae conciones, ducum cohortationes, legatorum responsa non calamo statim, ut hodie plerumque fieri solet, ad verbum excepta copiam sui rerum scriptoribus dabant. — Alia causa ex ipso veterum pulchri sensu est petenda, quo ducti accuratissima ad dicendi formam adhibita diligentia orationem unam et simplicem, neque alienis vocibus [vel adeo dialectis] interruptam, hibridam quasi et sui dissimilem esse voluerunt.“ (Pfarrius de concionibus historicorum Romanorum p. 4.) Quare aut res ita instituenda erat, ut est instituta, aut conciones obliquae proferendae, quas paucas habet Thucydides, quod carent evidentia (*ἐναργείᾳ*). Mirum esset igitur a Trogo Pompeio apud Iustinum XXXVIII, 3, 11 (contra quem dixit Freinsheim ad Curt. III, 2) ob has insertas orationes plerosque antiquitatis historicos reprehendi, nisi is tempore evanescentis libertatis publicae vixisset. Quanquam iam Cratippus aequalis Thucydidis conciones vituperavit, *οὐ μόνον ταῖς πράξεσιν αὐτὰς ἐμποδὼν γεγενῆσθαι λέγων, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἀκούουσιν ὀχληρὰς εἶναι* (Dion. p. 847), nisi forte huic magis modus, quo scriptae erant, displicuit.

Quod si veritas, quae in historia ante omnia spectanda est, laedi his orationibus videtur, etiam huic incommodo satis mederi poterant historici, si et ipsi significabant, quomodo de iis iudicandum esset, et eas ad exempla vere habitarum conformabant, et iis temporibus atque locis, quando et ubi, atque iis hominibus, a quibus habitae sunt, assignabant, et his ipsis ea tribuebant, quae et cuique apta essent, et cum vere dictis consentirent. Quas cautiones neglexerant quidem alii nonnulli historici, velut Dionysius Hal. et Livius, qui hominibus in eloquentia rudibus conciones a se inventas omnibusque suae aetatis artificiis oratoriis exornatas attribuunt, non neglexit Thucydides. Qui primum iam *τοιάδε*, non *τάδε* dicta esse in iis orationibus, quas memoriae prodidit, scribens, ne quis ipsa verba oratorum a se servata putet, cavet.

Cf. adn. ad VI, 8 ed. mai. Deinde manifestius rem declarat eo testimonio, quod ipse de se edit, I, 22: *Καὶ ὅσα μὲν λόγῳ εἶπον ἕκαστοι, ἢ μέλλοντες πολεμήσειν, ἢ ἐν αὐτῷ ἤδη ὄντες, χαλεπὸν τὴν ἀκρίβειαν αὐτὴν τῶν λεχθέντων διαμνημονεῦσαι ἦν. — ὡς δ' ἂν ἐδόκουν μοι ἕκαστοι περὶ τῶν ἀεὶ παρόντων τὰ δέοντα μάλιστα εἰπεῖν, ἐχομένῳ ὅτι ἐγγύτατα τῆς ξυμπάσης γνώμης τῶν ἀληθῶς λεχθέντων, οὕτως εἴρηται.* Examinaverunt haec Bloomf. interpr. I. p. 51 sqq. Kutzen Pericl. p. 143 sqq. Pfau l. d. p. 4 sqq. Roscher l. d. p. 154 sqq. Et Pfauius quidem a ceteris interpretibus dissentiens non singulas conciones Thucydideas, si summae sententiae spectentur, ad exempla vere habitarum scriptas, sed earum, quae vere habitae sint, quam maxime universas sententias expressas esse his verbis significari studet ostendere. Itaque de concione qualibet, num sit re vera habita, caute investigandum et diligenter perscrutandum existimat, et plurimas primi libri praeter Periclis orationem in suspicionem adducit. Et similiter Dionysius videtur iudicasse, a quo certe, quod Thucydides affirmat se quam proxime ad sententiam universam vere dictorum accessisse et consentanea singulos oratores dicentes fecisse, in dubium vocatum esse iure ex iis collegeris, quae p. 923 sqq. vitia orationum Periclis II, 60 sqq. et Hermocratis VI, 76 sqq. percensens disserit, item ex iis, quae de laudatione funebri iudicat. Cf. adn. II, 35. Sed et huic respondimus in mai. edit. Prolegom. I. p. 49 sqq., et Pfauii, qui sententiam suam breviter repetiit Encycl. antiqu. VI. p. 1911, enodatio verborum I, 22 cur probari posse non videretur, ad illum locum adnotavimus. Cf. Visch. in Mus. Helvet. a. 1839. p. 8 sqq. Langreut. p. 5 sq. Tiester p. 41. Rectius igitur Marcellinus §. 56 a Thucydide iis, quorum verba esse vellet, aptas et congruentes orationes confectas esse scribit, et Roscher singularum concionum dictarum summaria Thucydidi fuisse existimat, quorum exempla esse orationes obliquas libri octavi non elaboratas (VIII, 27, 46, 48, 53, 76, 81, 86) arbitratur (p. 163). Certum est igitur „omnibus concionibus Thucydidiis argumenta vere habitarum subiecta esse“ (Langreut.). Neque vero, id quod Bloomfieldius ad I, 22 videtur

facere, eo usque progredi debemus, ut, quanquam non omnia, quae vere dicta essent, a Thucydide memoriae prodita esse affirmemus, tamen in iis, quae oratoribus subiecerit hic scriptor, verba sola Thucydidis esse credamus. Nam reperiuntur in his concionibus etiam singulae quaedam sententiae eiusmodi, quae auctoribus earum minus recte tribuantur quam Thucydidi. Cuius rei documenta quae dederunt Roscher et Pfauius ex oratione I, 32 sqq. atque ex II, 35 et aliis nonnullis locis, ea satis refutarunt Vischer Mus. Helvet. a. 1839. p. 37 sqq. et Langreuter p. 16 sq. Sed hic ipse rem exemplis nonnullis probare aggreditur. Quo maxime refert dialogum inter Melios et Athenienses habitum V, 85—111. De quo verum vidisse Dionysium (cf. adn. ad V, 85), praeterquam quod in hoc colloquio tractando malignitatis falso accuset scriptorem, cuius consilium id videatur fuisse, ut proposito claro exemplo quantopere tunc quum ipsius belli saevitia tum concionatorum prava sapientia honestatis atque pietatis fundamenta concussa fuissent, ostenderet et doceret, quibus artibus tunc Athenienses, ut imperium augerent, usi essent. Verisimile esse legatos Athenienses locutos illos quidem esse in concilio Meliorum ea mente, ut his persuaderent, ut insulam dederent, dialogi autem maximam partem fictam esse. Quod idem de oratione Thebanorum III, 61 sqq., quae diligentissime a scriptore elaboratam rhetoricam declamationem sapiat, de sententiis quibusdam I, 76 et VI, 85, de Cleonis oratione III, 37—40 studet demonstrare. „Quum [enim] magis“, inquit p. 24, „quae quovis loco dicenda fuissent, quam quae vere dicta essent, consideraret, sententias generales, meditationes, rerum publicarum descriptiones scriptorem de suo immiscuisse verisimile est, quanquam speciem veri potius suspicari quam verum certis rationibus demonstrare potui.“ Quoniam autem de aliis orationibus plura, de aliis pauciora Thucydidem accepisse credere possumus, ad has exponendas plura quam ad illas eum de suis addidisse probabile est. Velut sermoni Meli habito quoniam praeter nonnullos Melios expugnata urbe interfectos tantum tres quatuorve Athenienses interfuissent, Grotius Hist. Gr. VII. p. 150 sqq.

(interpr. IV. p. 85). Thucydidem non cognovisse nisi universam naturam rerum ibi actarum suspicatur, seriem colloquii et argumentationis partem Thucydidi deberi. Sed idem orationum Thucydidearum sententias praecipuas et plurimas auctoribus earum tribuendas esse identidem fatetur. Cf. vol. VI. p. 77, 106 sq., 143 sq., 190 sq., 551 al. (interpr. III. p. 358. 375. 396. 423. 625).

Sic igitur historiae Thucydideae per se spectatae nihil admodum praeter ornamenta quaedam, quod fidem non haberet, inesse intelleximus. Superest, ut eadem historia cum aliorum scriptorum narrationibus et testimoniis comparetur. Et dolendum quidem est rerum scriptorem aequalem aut paene aequalem Thucydidis superesse neminem. Sed exstat primum Aristophanes, qui in plurimis rebus egregie cum hoc consentit. Confer ante omnia de Cleonis moribus a nobis ed. mai. I, 2. p. 82 et a Ranckio de Vit. Aristophan. p. CCCLXXXVI sqq. exposita. Si quando uterque discrepat, non debemus oblivisci Aristophanem poetam esse comicum, cui naturae comoediae convenienter complura narranda fuerint. Cf. quae de causis belli Peloponnesiaci in ed. mai. ad I, 127 diximus et add. Ullrich. de Psephism. Megar. p. 38—40 et Sinten. ad Plut. Pericl. c. 31. Quod denique permulta, quae ab Aristophane tanguntur eiusque aetate Athenis acciderunt, a Thucydide omissa sunt, id, quum hic bellum Peloponnesiacum scribere, non Athenarum historiam componere sibi proposuerit, et aliis de causis non mirabile esse ostendit Ranck. l. d. p. CCCLXIX sqq. Alter scriptor hic spectantus est Andocides de Hermocopidarum causa in nonnullis dissentiens, quem dissensum inde, quod Andocides omni culpa se liberare voluerit, explicat Droysen Mus. Rhen. III, 2. p. 187. Aliae quaedam discordiae Aristophanis aut Andocidis non tam sunt, quam videntur esse. Cf. adn. II, 13, 8. De Lysia vid. adn. ad VIII, 92, ubi universis oratoribus non posse tantum, quantum Thucydidi, credi demonstrat Arnoldus. Ex recentioribus scriptoribus cum Thucydide conferendis longe princeps est Diodorus, quoniam solus paulo ampliorem atque continuam narrationem rerum in Graecia a pugna Plataeensi usque ad finem belli Peloponnesiaci gestarum reliquit atque

etiam alios scriptores antiquiores ac Thucydidi paene aequales, ex quibus ipse Ephorum et Philistum nominat, consuluit. Eum igitur in plurimis et maximis rebus cum Thucydide conspirare, dissentire interdum in levibus probavimus ed. mai. I, 1. p. 52 sqq. Maiores dissensus spectant ad ordinem et tempora complurium rerum per spatium quinquaginta circiter annorum, quod a pugna Plataeensi usque ad initium belli Peloponnesiaci praeteriit (cf. adn. ad I, 89), gestarum et ad causas belli, in quibus exponendis Diodorus XII, 38 et Plutarchus Pericl. c. 32 comicorum criminationes male repetiverunt. In utriusque scriptoris, Thucydidis et Diodori, discordia, utri maior fides habenda sit, si quaeritur, Manso, cuius disputatio de ingeniis historicorum belli Peloponnesiaci legitur in Spartae vol. II. p. 391 sqq., vere iudicavit Thucydidem longe praeferendum esse. Cf. nos l. d. p. 55 sqq., Haack. ed. mai. ad IV, 57, qui complura negligentiae Diodori exempla affert, Arn. ad IV, 12, qui ab eo res exaggeratas et ridicule exornatas docet, cuius rei exempla vide etiam in ed. mai. Ind. v. *Diodor.* a nobis prolata. Plutarchus autem, cuius Themistocles, Aristides, Cimon, Pericles, Nicias, Alcibiades, praeterquam quod auctor magis mores quam res gestas, magis vitas privatas quam publicas horum virorum depinxit, plus minusve huc pertinent, propius etiam Thucydidem secutus et saepe iisdem paene verbis usus est. Confer modo vitam Niciae et compara quae ibi de altercatione Niciae et Cleonis, quum classis Pylum mittenda fuit (c. 7), de pace per Niciam facta atque per Alcibiadem sublata (c. 9 et 10), de expeditione in Siciliam suscepta (c. 12 sqq.) leguntur, cum iis, quae iisdem de rebus habet Thucydides, iam summum utriusque scriptoris consensum animadvertes. Qui inde quidem explicandus est, quod Plutarchus Thucydidem tanti aestimavit, ut assentiri ei non dubitaret. (Vide laudem Thucydidis in Nic. c. 1.) Sed hoc ipsum confert ad auctoritatem huius comprobandam, praesertim si consideramus Plutarcho non defuisse alios auctores, quos sequeretur, ut Philistum et Timaeum, sed hos, quorum ipse mentionem facit, illi posthabitos esse. Ceteros scriptores, ut

Nepotem, cuius leves quaedam diversitates aliquoties in adnotationibus (ut ad I, 133 et 136) commemoratae sunt, facile apparet nihili aestimandos esse.

Cap. V.

De rerum delectu. Thucydides num altius orsus sit historiam vel degressiones inutiles interposuerit, item num necessarias res omiserit, vel certe nimia aut brevitate aut diligentia usus sit, exploratur.

Hactenus argumenti delectum et veritatis studium Thucydidis laudandum esse vidimus. Sed non solum idoneum argumentum eligere et vera narrare, sed etiam curare debet scriptor, ne aut quid proferat, quod ad hoc argumentum non pertineat, aut, quae ad id dilucide explicandum opus sint, omittat. Et illa quidem in re duobus modis falli potest, si aut altius orditur narrationem, aut degressiones inutiles interponit. In ea tamen quaestione a reliqua historia separandum est prooemium. In quo repetuntur quidem a Thucydide breviter res Graecorum ab ultimo initio; sed hoc eo consilio factum esse, ut comparata ad bellum Peloponnesiacum omnia priora vi atque magnitudine cedere intelligeremus, iam ad I, 1 adnotavimus. Animadverterat enim Thucydides homines, quam diu illi quidem bellum gererent, hoc ipsum maximum putare, sed eo finito vetera magis admirari I, 21. Inde colligebat, in quo a vero eum non aberrasse Dionysii exemplum docet, fore, quibus hoc libri argumentum displiceret; atque ut haec maligna iudicia, quantum posset, ipse coerceret et, quod prooemii officium est, attentos redderet lectores, vetera illa ostendit non debere in ea, qua vulgo afficiebantur, esse admiratione. Praeterea quum in res priscas Graecorum inquirens multa aliis ignota invenisset et hominum de iis iudicia saepe perversa esse sensisset, quis iure eum vituperabit, quod certe gravisimas harum rerum, quibus magnitudo sui argu-

menti detrectaretur, attingere decrevit? Non poteris igitur non mirari, quod Dionysius etiam hoc prooemium, maxime egregium et a Luciano de conscr. hist. c. 54 laudatum, tanquam quod sine idoneo consilio additum sit, reprehendit p. 853 sqq. et primam atque extremam eius partem coniungens aliud efficit, quod sibi magis probari dicit, sed nimis breve et vile atque ieiunum est. Cf. quos ad I, 1 nominavimus, in primis Creuz. l. d. p. 262 (ed. 2. p. 203) sqq. In ipsa autem historia Thucydides proficiscitur a bello, quod inter Corinthios et Corcyraeos ortum est I, 24, et recte; nam hoc bellum et iuncta ei defectio Potidaeae ad foedera Lacedaemoniorum atque Atheniensium frangenda occasionem dedit. Postea tamen, priusquam ad bellum Peloponnesiacum narrandum accedit, res ab Graecis a confecto bello Medico usque ad Corcyraeum gestas breviter adumbrat c. 89 sqq. Quam si, quod ipse fecit c. 97, degressionem volumus appellare, ea quidem necessaria erat. Nam bellum Corcyraeum quanquam ausam dedit foedera violandi, et palam causa belli Peloponnesiorum et Atheniensium esse dicebatur, tamen vera causa sita erat in aucta Atheniensium potentia, metu, quem iniiciebant Lacedaemoniis, inimicitiis utrorumque inde natis. Cf. I, 20, 6 et ibi adn. Quarum rerum originem et maxime incrementa Athenarum, ut vera belli causa clare pateret, necesse erat exponi; praesertim quum, qui ante Thucydidem historias composuerant, omnes aut res ante bellum Medicum gestas aut hoc ipsum bellum scripsissent, proxima autem tempora praetermisissent, excepto Hellanico, qui breviter et parum idoneo ordine eorum mentionem fecerat I, 97. Non multo minus necessariae sunt plurimae aliae Thucydidis degressiones, quae, ut omittamus adnotationes paucis verbis comprehensas (III, 96, 116, IV, 102, 120, al.) et fabulas, de quibus iam supra expositum est, hae sunt: de Cylone I, 126, de Pausania et Themistocle I, 128 sqq. 135 sqq., de priscis rebus Atheniensium II, 15, de Odrysarum et Macedonum imperiis II, 96 sq. 99 sq., de Deliorum rebus pristinis III, 104, de Siciliae magnitudine et incolis VI, 1 sqq., de Harmodio et Aristogitone atque de Pisistratidis VI, 54 sqq. De singulis his

degressionibus nos diximus ed. mai. Prol. I. p. 69 sqq., de ea, in qua plus quam in ceteris offendimus, etiam in adn. ad VI, 54, de universis Creuzer Art. histor. 272 sqq. (ed. 2. p. 211 sqq.). Nonnullas tamen earum, velut II, 15 et I, 135, abruptius prolatas esse et Thucydidem cum quadam difficultate a narratione continua deflectere ad res ab argumento electo remotiores demonstrare studuit Kutzen de Pericle Thucyd. spec. I. p. 10 sqq. et Pericl. p. 124 sqq., quod de I, 135 sqq. nos quoque concessimus, nec mutamus iudicium propter ea, quae disseruit Weil. Comment. antiqu. stud. a. 1838. p. 866. Haec autem res inde orta est, quod ille, si ab his paucis degressionibus discesseris, semper manet in proposito. Quare Dionysius, hanc ipsam praestantissimi scriptoris virtutem vitio ei vertens, *Πόλεμον ἕνα*, inquit p. 772, *καί τινας ἀπνευστὶ διεξέρχεται μάχας ἐπὶ μάχαις καὶ παρασκευὰς ἐπὶ παρασκευαῖς.*

Ita igitur nihil, quod inutile sit, a Thucydide narratum esse ipse hic censor acerbus quodammodo concedit. Sed boni scriptoris esse etiam omnia, quae ad argumentum plene exponendum requirerentur, proferre supra diximus. Itaque primum cavendum est, ne quid eiusmodi prorsus praetermittatur. Cuius rei quodammodo Oroli filium nuper insimulavit Raumer ex Thucydide et Xenophonte a quoquam negans cognosci, quantopere Athenae aetate belli Peloponnesiaci doctrina atque omni vita excultae atque expolitae essent. „Selbst aus Thucydides und Xenophon“, inquit Antiquar. Briefe p. 32, „erfährt Niemand, auf welcher bewundernswerthen Höhe allgemeiner, allseitiger Bildung Athen ... stand... Wäre es nicht ein unschätzbarer Gewinn für uns, wenn Thucydides, anstatt der bloss kriegerischen Propyläen seines Werkes, Athen in aller Vielseitigkeit seiner Glorie geschildert hätte, ohne die Gefahren der Selbstüberhebung zu verschweigen; und wenn dann von ihm Sparta mit seiner strengen, herben Einseitigkeit wäre gegenüber gestellt worden? Was wir mühsam zusammenstoppeln, ergänzen müssen, stände dann von Meisterhand erbaut vor uns.“ Sed recte ei respondit Boeckhius ibid. p. 57 non esse a veteribus recentiorum studium universa complectendi („moderne Universalität“)

postulandum; Thucydidem scripsisse de iis, quae intellexisset; nam solitos fuisse veteres scriptores certos fines terminosque sibi constituere, extra quos non egrederentur, quum nos in infinitum procederemus*. Thucydides igitur bello atque rerum publicarum conditione occupatus tacet de literis et artibus universis. „Quidquid“ inquit Rothius in comparatione Thucydidis et Taciti „a bello, quod scribit, alienum est, nullam certe lucem rationi et tenori eius affert, a libro suo excludit. Nulla Phidiae est commemoratio, nulla aequalium ei poetarum atque sophistarum clarissimorum. Hos ne ibi quidem nominat, ubi maximae id faciendi opportunitates erant, ut Phidiae in verbis Periclis II, 13, Sophoclis in expeditione contra Samios facta I, 116, Gorgiae in legatione Leontinorum III, 86, Hippocratis in pestilentiae descriptione, Socratis, si huius praestantiam satis perspexit, in iis pugnis, quibus strenue pugnavit (cf. ed. mai. adn. ad I, 63 et IV, 96), Metonis in profectione classis in Siciliam VI, 31 mentio fieri commode potuit; quos autem rerum gestarum causa nominat, Andocidem, Antiphontem et maxime Periclem, quid literis et artibus profuerint, non significat, praeterquam quod eloquentia duos ex his eminuisse testatur. Tacet etiam de

* Hodie qui historiam belli Pelop. compositurus sit, quae aliter atque Thucydides scribere debeat, explicare conatur Guil. Herbst „Das classische Alterthum in der Gegenwart“ p. 206 sqq. Is hodie primum necessitudinem historiae Graeciae universae et singularum civitatium diligentius dicit spectandam et hac in re gentium consensiones et dissensiones, discrimina, diversitates, coloniarum rationes saepius, quam Thucydides fecerit, explorandas. Deinde mores et ingenia hominum praecipuorum, quae Thucydides tantum quasi praeteriens aut orationibus adumbraverit, explananda. Tum quae fuerit necessitudo Graecorum atque barbarorum, imprimis regis Persarum, adhibitis iis, quae Thucydides et alii scriptores significent, accuratius ostendi debere. Denique, qua re narrationem a Thucydidea nunc maxime distare oporteat, non omnia ad reipublicae rationes referenda, sed simul ad cultum humanum civilemque respiciendum, atque mutationes pietatis et religionum, philosophiae et artis, educationis et eruditionis, morum et iurum, literarum et doctrinae explicandas esse.

rebus domesticis virorum insignium, velut de Periclis et Aspasiae necessitudine, nisi, ut Alcibiadis vita privata VI, 16, ad res publicas intelligendas cognoscendae sunt. Qualia fuerint quae Cratippus „ὁ συνακμάσας αὐτῷ καὶ τὰ παραλειφθέντα ὑπ' αὐτοῦ συναγαγών" collegerit, ignoramus. Cf. quae Krueger de eo suspicatur ad Dion. p. 102. Hodie in ipsius belli narratione aegre ferimus, quod, quantae copiae Peloponnesiorum terrestres aut universae, aut in singulis expeditionibus in Atticam factis, fuerint, nusquam dicitur, quum tantum, qui populi socii Lacedaemoniorum fuerint, a quibus equites, a quibus pedites, non quot utriusque generis milites ab utrisque praebiti sint, audiamus II, 9. Id Meierotto (p. 198) in maius augens adeo Thucydidem reprehendit, quod nusquam numerum civium populorum bellum gerentium, eorum divitias, naves significaverit, sed ad sensus atque animos nationum, qui quoque tempore fuissent, respicere satius duxerit. Quod primum verum non est, si de Atheniensibus intelligitur. Hi enim quot tunc habuerint milites, quot naves, quantas opes, docet sane satis accurate. Vide II, 13, III, 17. In Lacedaemoniis autem idem facere διὰ τῆς πολιτείας τὸ κρυπτόν (V, 68) eorum non videtur potuisse; nam magnitudinem eius certe exercitus Lacedaemoniorum, qui Agide duce cum Argivis conflixit, aliter nisi ratiocinando non potuit cognoscere. Similiter frequentiam civium plurimarum aliarum nationum notam ei fuisse vix est credibile. Praeterea et apud Graecos plus animus atque ardor, quo res aggrediebantur, quam copia hominum et armorum effecit, et nos certe illa quam haec scire praestat. Dionysius autem talia omissa non culpans a Thucydide duabus rebus officio ei, de quo loquimur, satisfactum negat; eum enim neque ad aptum finem historiam perduxisse (vid. p. 777 et 837), neque modum in dicendo tenuisse, sed quae paucioribus verbis indigerent, verbosius exposuisse, negligentius autem attigisse, quae longiore sermone pertractanda essent (p. 839). Utrumque crimen quum accuratius consideraverimus, vanum esse apparebit.

Et ab altero quidem, quod item ad res omissas spectat, ut incipiamus, Dionysius mendacii arguit Thucydidem, quod

belli historiam, quam se absoluturum promisisset, imperfectam reliquerit; substitisse enim eum in pugna ad *Κυνὸς σῆμα* commissa, quum narratio usque ad reditum exsulum, qui Thrasybulo duce Athenarum libertatem restituissent, persequenda esset. Hoc quidem non est verum; nam bellum Peloponnesiacum confectum est pace atque eversis post pugnam ad Aegos flumen factam Athenarum longis muris; ibi igitur narrationem finire et potuit et voluit (V, 26) Thucydides. Quod autem eo usque non deducta est historia, de eo si cui placeat conqueri, is cum invida fortuna contendat, non cum Thucydide, quem, priusquam libros suos perficere potuisset, morte abreptum esse iam ex natura libri VIII in disputatione de huius libri integritate intelleximus. Cf. etiam supra c. I.

Ad nimiam autem aut brevitatem aut diligentiam narrationis quod attinet, ea quidem exempla, quibus Dionysius p. 839 sqq. utramque confirmare studuit, refelli facile possunt, quod post Heilmannum nos fecimus Prol. l. p. 64 sqq. Cf. quae Krueger ad Dion. aliquot locis adnotavit, ut p. 92 sq. et p. 98 sq. De brevitate recte haec praecipit Lucianus de conscrib. hist. §. 56: *Τάχος ἐπὶ πᾶσι χρήσιμον, καὶ μάλιστα εἰ μὴ ἀπορία τῶν λεκτέων εἴη· καὶ τοῦτο πορίζεσθαι χρὴ μὴ τοσοῦτον ἀπὸ τῶν ὀνομάτων ἢ ῥημάτων, ὅσον ἀπὸ τῶν πραγμάτων. λέγω δὲ, εἰ παραθέοις μὲν τὰ μικρὰ καὶ ἧττον ἀναγκαῖα, λέγοις δ' ἱκανῶς τὰ μεγάλα· μᾶλλον δὲ καὶ παραλειπτέον πολλά.* Itaque Thucydides primum res bello Peloponnesiaco superiores, quas attingendas putavit, quum non partem argumenti electi efficerent, sed tantum pro ingressione vel degressione operis habendae essent, quam brevissime exponendas censuit. Cuius perspicuae brevitatis insigne documentum est *πεντηκονταετία*, quae vocatur, I, 89 sqq. et maxime c. 98—118. Sed idem fere dicendum de primordiis belli Corcyraei I, 24—31 usque ad id tempus, quo Corcyraei Athenienses auxilio vocantes auctores facti sunt, ut foedera horum et Peloponnesiorum rumperentur. Atque etiam in iis, quae in ipso bello Pelop. acciderunt, referendis Thucydides summam dedit operam, ut ea potissimum accuratius explicaret, quae aut per se magna vel atrocia essent, aut e quibus talia prodirent.

Illius generis sunt pestilentia, quae Athenas vexavit, Plataeensium obsidio et interitus, Mytilenaeorum discrimen, res a Brasida gestae, pugnae apud Delium et Mantineam factae, expeditio Siciliensis, alia plura; huius Sphacteriae insulae expugnatio, cuius uberior explicatio iniuria reprehensa est a Dion. p. 840. „Etenim pauci quidem erant, qui in Sphacteria capti sunt, sed erant Spartani; hinc invicti videri Lacedaemonii desierunt, hinc postmodum pax est composita." (*Krueg.* ad Dion. p. 93. Cf. nos Prol. I. p. 93.) Et per se atrocissima et aliorum similium tumultuum praenuntia atque exemplum fuit seditio Corcyraeorum l. III diligenter narrata. Talia ut dilucide depingerentur, ne *ἐκφράσεις* quidem sprevit Thucydides. Sed verissime Lucianus de conscr. hist. c. 57, *ὁ Θουκυδίδης*, inquit, *ὀλίγα τῷ τοιούτῳ εἴδει τοῦ λόγου χρησάμενος, σκέψαι, ὅπως εὐθὺς ἀφίσταται, ἢ μηχάνημα ἑρμηνεύσας* (cf. IV, 100), *ἢ πολιορκίας σχῆμα δηλώσας* (in iis maxime, quae de Plataeis II, 75 sqq. dicta sunt), *ἢ Ἐπιπολῶν σχῆμα* (VI, 96), *ἢ Συρακοσίων λιμένα* (VII, 4 et alibi). *ὅταν μὲν γὰρ τὸν λοιμὸν διηγῆται* (II, 47 sqq.) *καὶ μακρὸς εἶναι δοκῇ, σὺ τὰ πράγματα ἐννόησον· εἴσῃ γὰρ οὕτω τὰ τάχος.* Quodammodo huc etiam referenda est rerum, quasi gerantur, sub adspectum quasi subiectio; sed haec quum dictionis sit virtus, infra de ea loquemur.

Diligentia autem et perspicuitas narrationis historicae quum saepe magnopere augeatur geographia et antiquititatibus explicatis, Thucydides primum status et rationes civiles regnorum et populorum suae aetatis tribus singularibus excursibus, qui sunt de imperio Odrysarum II, 96, 97, de incrementis regni Macedonici II, 99, de rebus Siciliae VI, 1—6, illustrare studuit, atque ut, cur Athenienses aegre in urbem se contulissent, ostenderet, nonnulla ex antiquitatibus Atticis protulit II, 15. Minores degressiones geographicae leguntur I, 46, IV, 109. Deinde non raro pauca verba ad situs locorum patefaciendos adiecit. Vicissim autem factum est, ut diligentia, qua expeditiones in terras quasdam narrat, geographia harum optime explicaretur. Ita nonnullas partes Graeciae septentrionalis, ut agrum Locrorum Ozolarum, Acarnaniam, Aeto-

liam, item tractus quosdam Chalcidicae et Thraciae, quae regiones apud geographos eos, quorum scripta exstant, parum luculenter depinguntur, Thucydidis ope maxime cognoscimus. Cui universa geographia quae deberet, enodare conatus est Forbiger Enchirid. geogr. I. p. 97 sqq., quanquam dolendum est in hac utili explicatione iusto saepius in singulis erratum esse, id quod a nobis in censura huius libri demonstratum est. (Vid. Diurn. literar. Hal. a. 1849. m. Ianuar.)

Cap. VI.

De dispositione historiae Thucydideae, temporum rationibus eius, descriptione in aestates et hiemes, item in libros.

Post inventionem et electionem tertio loco consideranda dispositio. In qua re omissa quaestione generali, quot et qualibus rationibus historia componi possit (cf. Wachsm. Historiogr. p. 141 sqq.), placet videre, qualem ordinem rerum Thucydides in opere suo tenuerit, quae in eo reprehensa sint, denique quomodo ea excusari possint.

Sequitur igitur Thucydides tempus ita, ut belli Pelop. historiam describat in annos. Quos tamen non secundum Olympiades numerat, quod tunc facere Graeci nondum solebant. Vid. Polyb. XII, 12, interpr. Xen. Hist. Gr. I, 2 init. Breitenb. ibid. p. XXVI sq. et Goell. Syrac. p. 196 sqq. Commemorat igitur ille quidem bis Olympiadem et Olympia (III, 8, V, 49), sed et data occasione, quia narrantur res Olympiae gestae, neque numerum ullum Olympiadi assignat, nec qui stadio, ut recentiores historici, sed qui pancratio vicerint, nominat. Ubi igitur tempora bello Pelop. antiquiora sunt definienda, quot annis ante huius belli finem res evenerint, solet commemorare, ut I, 13, 15, al. Simul tamen etiam bellum Troianum* et Medicum epochae, quae vocantur, quae-

* Hoc bellum quando fuisse statuat, colligi fortasse ex V, 112 potest. Cf. Dunck. Hist. ant. III. p. 197.

dam ei sunt. Itaque res vetustissimas distinguit in *τὰ πρὸ τῶν Τρωϊκῶν* (I, 3—8), *αὐτὰ τὰ Τρωϊκά* (I, 9—11) et *τὰ μετὰ τὰ Τρωϊκά* (*μετὰ Ἰλίου ἅλωσιν* I, 12 sqq.). Deinde rursus pugna Marathonia et Xerxis e Graecia discessu ad tempora definienda utitur I, 18, 89 sqq., 118. Ad ipsum autem bellum Pelop. ubi pervenit, postquam ephorum Spartanum et archontem Atheniensium, qui ineunte bello fuissent, nominavit, et, quotus is annus fuisset foederis tricennalis atque Chrysidis sacerdotis Argivae, dixit II, 2, ipsius belli numerat annos. Quod Dodwello in Annalibus Thucydideis facere ita visus est, ut non a Plataearum occupationis die, a quo facto bellum incipere scriptor ipse II, 2 videtur significare, nec a prima irruptione Lacedaemoniorum in Atticam, sed ab initio veris illius computationem institueret. Id probabile non videri, pendere autem rem ex integritate verborum *δύο μῆνας* II, 2, iam ad V, 20, 1 docuimus. Add. adn. ad II, 2. Bellum ortum esse extremo Elaphebolione Ol. LXXXVII, 1 (a. Chr. 431) ex V, 20, 1 cl. cum V, 19, 1 certo videtur colligi; Voemelius („Quo die bellum Pelop. inceperit“, Francof. 1846) adeo ipsum diem conatus est definire, quem vult esse Elaphebolionis vigesimum primum vel secundum; sed ab eo dissentit Boeckh „Zur Gesch. der Mondcyclen“ p. 78. Receperitne Thucydides cyclum Metonis, de eo cf. adn. II, 28. Add. Redlich „Der Astronom Meton“ p. 58 sqq. et Boeckh l. d. p. 4 al., quibus obloquitur Mommsen „Beiträge zur griech. Zeitrechnung.“

Quatenus igitur annos in belli rebus ordinandis sequitur, hactenus Thucydides annales, ut praeter Herodotum, Trogum Pompeium, Appianum plurimi veterum scriptorum (cf. Ulric. l. d. p. 287 sq.), composuisse dici potest. Differt tamen rursus ab annalium scriptoribus eo, quod singulos annos denuo dividit in binas partes, aestates atque hiemes (*κατὰ θέρη καὶ χειμῶνας* II, 8, V, 20). Cum aestate coniungit auctumnum atque totum ver. Nam II, 31 scribit *περὶ τὸ φθινόπωρον τοῦ θέρους τούτου*, ubi etiam III, 18 *φθινόπωρον* et VIII, 108 *μετόπωρον* aestati adnumerari adnotavimus. Sed his nominibus non totum trimestre spatium nostri auctumni vide-

tur complecti. Cf. adn. VIII, 108. Adeo aequinoctium autumnale iis exprimi apud Thucydidem putat Ullrich. Aristoph. Quaest. I. p. 7. Totum autem ver partem aestatis Thucydidi esse satis intelligitur ex verbis *ἅμα τῷ ἦρι εὐθὺς τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους* V, 40 et similibus *ἅμα ἦρι τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους*, *τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους ἅμα ἦρι*, *ἅμα τῷ ἦρι εὐθὺς ἀρχομένῳ τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους*, quae ibi attulimus. Repugnare quidem videntur III, 116, 1 *περὶ αὐτὸ τὸ ἔαρ*, quae in narratione rerum hieme gestarum leguntur. Sed debere his appropinquans ver et idem quod plenioribus verbis *τοῦ αὐτοῦ χειμῶνος τελευτῶντος καὶ πρὸς ἔαρ ἤδη* IV, 135 similibusque V, 39, 56, 81 significari iam ibidem docuimus. Incipit autem ver Thucydidi mense Elaphebolione. Nam foedera inter Lacedaemonios et Athenienses facta *Ἐλαφηβολιῶνος μηνὸς ἕκτῃ φθίνοντος* V, 19 proximo posteriore capite dicit icta esse *τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος ἅμα ἦρι*. Atque etiam priora foedera inter eosdem populos iuncta iam *τετράδα ἐπὶ δέκα τοῦ Ἐλαφηβολιῶνος μηνός* IV, 118 superiore capite scribit facta esse *ἅμα ἦρι τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους*. Denique *τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους εὐθύς* IV, 52 valere m. Martii die XXI solis defectu, cuius ibi mentio fit, demonstratur. Cf. ibi adn. Quae quum ita sint, aestas Thucydidea, nisi in *φθινοπώρου* s. *μετοπώρου* notione definienda Ullrichium, cuius opinionem modo commemoravimus, sequi vis, longior sex mensibus debet esse. Quod comprobatur verbis *μηνῶν τεσσάρων τῶν χειμαρινῶν* VI, 21, ubi cf. adn. Quanquam vel sic V, 20 ausus est de aestatibus et hiemibus haec scribere, *ἐξ ἡμισείας ἑκατέρου τοῦ ἐνιαυτοῦ τὴν δύναμιν ἔχοντος*.

Quod si, quas partes horum quatuor anni temporum distinguat, quaerimus, pactorum nonnullorum etiam menses et dies nominari modo vidimus. Alibi, ut partes illas discernat, addit tantum *ἀρχομένου*, *μεσοῦντος*, *τελευτῶντος*, et observationes quasdam aut ad frumenti maturitatem spectantes, ut *τοῦ θέρους καὶ τοῦ σίτου ἀκμάζοντος* II, 19, *τοῦ θέρους περὶ σίτου ἐκβολήν* IV, 1, *τοῦ ἦρος πρὶν τὸν σῖτον ἐν ἀκμῇ εἶναι* IV, 2 et *τοῦ σίτου ἔτι χλωροῦ ὄντος* c. 6, *ἐν καρποῦ ξυγκομιδῇ* III, 15, *ἐν τῷ αὐτῷ θέρει ὀλίγον πρὸ τρυγήτου* IV, 84, aut ad

siderum ortus et cursus, περὶ ἡλίου τροπὰς τὰς χειμερινάς VII, 16 et περὶ Ἀρκτούρου ἐπιτολάς II, 78. De qualibus cf. adn.

Iam vero, quod omnes res, ut κατὰ θέρος et κατὰ χειμῶνα gestae essent, proposuit, eo Dionysius totam narrationem obscuram et talem, quam aegre sequare et animo comprehendas (ἀσαφῆ καὶ δυσπαρακολούθητον), factam esse contendit p. 773 et 826 sqq. Inde enim effici, ut, quum multae res evenerint diversis locis, imperfectas primas relinquat atque alias attingat eadem aestate et hieme gestas. Quod illustrat maxime tertii libri dispositione, quemadmodum secundi conformationem huic similem descripsit Heilmannus l. d. p. 148 sq. Cum universa accusatione cf. etiam Theon. Progymn. I. p. 148 ed. Walz. et Doxop. ad Aphthon. II. p. 220. Commendatur quidem similis historiae dispositio a Luciano de conscr. hist. §. 50, ubi cf. Herm. p. 295 sqq., sed habet utique sua incommoda, quanquam non maiora quam annalium, quales et Dionysius et plurimi veterum exhibuerunt, confectio. Cf. Ulric. p. 287 sqq. et de Tacito Hoffmeister „Weltansch." p. 6. Sed si accuratius rem perpenderimus, Thucydidem vix aliter opus disponere potuisse intelligemus. Nam quum hoc bellum, dum geritur, et statim primo anno adumbrare coepisset (cf. I, 1), alium ordinem nisi annorum ac temporum sequi non potuit. Cf. Iungk. de art. praecip. hist. p. 10. Ethnographica seu topographica certe descriptio, quae paene sola praeter chronologicam apud veteres invenitur, non praestat. Nam si secundum regiones, in quibus pugnatum est, res gestas a belli initio usque ad finem vel certe usque ad intercapedinem quandam eius persecutus esset, nunquam totius belli imago eorum, qui haec legerent, animis obversaretur. Iam potuit quidem tum, quum historiam confecto bello digessit (cf. c. I), tres aetates huius constituere, quae ex ipsius certaminis diversitatibus et pacis intervallis prodeunt. Nam prima pars est tempus prioris belli, quod Archidamium vocatur (cf. c. I), usque ad pacem Niciae, qua prima aetate raro instructis ordinibus pugnatum est, plerumque incursiones et agrorum direptiones factae sunt. Deinde secundam partem tempora induciarum inter Athenienses et Lacedaemonios

agitatarum usque ad renovatum bellum vel expeditionem Siculam efficiunt. Denique tertia pars (Δεκελεικὸς πόλεμος oratorum, cf. c. I) sequitur ad captas usque Athenas, cuius rursus minores aliquot particulae, velut bellum Siculum, bellum Ionicum et turbae intestinae Atheniensium, denique bellum Hellesponticum discernantur. Et prior certe divisio tantum abest ut Thucydidem praeterierit, ut eum olim solum prius bellum scribere voluisse Ullrichium censere c. I viderimus, atque ibidem bellum Siculum et Ionicum ab eo nominari intellexerimus; sed nullam inde utilitatem ad singulas res digerendas redundare videtur existimasse. Cur autem non anni civilis spatium seu annua magistratuum imperia dispositionis fundamentum esse voluerit, ut alii scriptores, qui, quo archonte vel ephoro vel sacerdote res gestae essent, significabant, eius rei causam ipse aperit V, 20. At mira est, inquiunt, divisio secundum aestates atque hiemes. Immo ex ipsa bellorum, qualia tunc erant, natura petita. Tunc enim, ut etiam multo post et usque ad recentissima propemodum tempora, aestate fere sola certabatur (cf. Demosth. Phil. III. §. 48), hieme autem plerumque quiescebant arma, et tantum insequentis aestatis expeditiones praeparabantur, saepe etiam de pace agebatur; quo fit, ut non inepta sit talis veterum bellorum descriptio, praesertim si quod eiusmodi est, quale primis annis Peloponnesiacum res cupide magis et temere quam ratione et ordine in variis terris gestas complectens. Posterioribus belli annis, et maxime quamdiu in Sicilia certamen erat, quum species eius aliquantum mutata sit, etiam Thucydidis narratio l. VI et VII magis continua est (cf. Heilm. l. d. p. 150 sqq.), quanquam divisio κατὰ θέρη καὶ χειμῶνας aequalitatis causa est servata, quod idem fecit Xenophon in Hellenicorum primis duobus libris, etsi minus accurate. Cf. Breitenb. ad Hellen. p. XXIX.

Sed praeter hanc distributionem altera invenitur, qua haec historia in octo libros distinguitur. Ea vero num ab ipso Thucydide profecta sit, dubitari potest. Nam non solum codices in singulorum librorum inscriptionibus mirum in modum inter se discrepant, sed, quod longe gravius est, aliis

aliae placuerunt divisiones. Vid. Marcell. §. 57 et Schol. ad l. IV extr., ubi commemoratur dissensus criticorum hac in re: „οἱ μὲν γὰρ αὐτῶν διεῖλον εἰς ὀκτώ, οἱ δὲ εἰς ιγ', τὴν πρώτην εἰς β' καὶ τὰς ἄλλας ἑπτὰ εἰς ια'." Et eius quidem divisionis, qua tredecim libri distincti sunt, vestigia servata sunt in scholiis. Cf. Schol. II, 78 extr. III extr. IV, 78, 114 et Steph. ad I, 1. Alii novem libros esse voluerunt. Cf. Diod. Sic. l. XII. p. 502 et l. XIII. p. 573. Iam quod omnino in libros divisa est historia, non male est factum. Nam quanquam singulorum annorum atque aestatum et hiemum finibus notatis intermissiones quasdam narrationis et distinctiones effici vidimus, inde tamen partes nimis inaequales oriuntur, quum aliis annis pauca, aliis multa evenerint, quae literis consignanda iudicaret Thucydides. Et tametsi, utrum ipse an alius auctor sit eius, quae hodie recepta est, divisionis, ignoramus, satis antiquam eam esse docent et testimonia, quae supra protulimus, et quod Dionysius p. 867 atque veteres grammatici eam sequuntur. Nam quanquam hi interdum falsum librum Thucydidis commemorant (ut Dion. p. 917, grammaticus in Bekk. Anecd. p. 82 in *Αὐθημερόν* et p. 90 *Δραστήριος*), tam raro tamen hoc fit, ut aut memoria decepti aut numeri a librariis permutati esse putandi sint. Neque incommodam esse maxima ex parte hanc divisionem probavimus ed. mai. Prol. I. p. 75 sq. Cohaeret tamen hoc cum ea quaestione, ad quam statim accedimus.

Cap. VII.

De arte compositionis historiae Thucydideae.

Compositionem historiae Thucydideae, qua artis opus et tragoediae similis fieret, explicare imprimis studuit Ulrici l. d. p. 312 sqq. Totum primum librum esse quasi prologum; eo aetatem paulo ante praeteritam et res tunc gestas cognosci; loca, tempora, rerum conditiones, quibus haec tragoedia age-

retur, depingi; causas, ansas, initia rei repraesentandae exponi; denique totum opus praeparari. Cogitate descriptionem et explicationem magnitudinis et potentiae Atheniensium inter res in duobus conventibus Lacedaemoniorum actas interpositam esse; cogitate Periclis oratione, qua populus Atheniensis ad bellum incitetur, librum finiri. Deinde a secundo libro primum actum dramatis incipere; quem pestilentia Attica, Periclis maiestate, splendore eloquentiae, morte, Mytilenis expugnatis et Plataeis dirutis, rebus gravissimis, impleri (usque ad III, 68). Secundi actus initium fieri a seditionibus, caedibus, rerum publicarum et morum depravatione in Corcyra et plurimis civitatibus Graeciae orta; fortunam belli esse ancipitem; cladem, quam Demosthene duce Athenienses ab Aetolis acceperint, Pylo munita et Spartiatis in Sphacteria inclusis compensari. Quae de pacis conditionibus acta sint, intemperantia et superbia Atheniensium fieri irrita, et Sphacteriam non desinere obsideri (III, 69—IV, 26 sqq.). Ita absolvi secundum actum, et eius, qui haec legat, animum suspensum esse, quae sors obsessorum et summis angustiis pressorum Lacedaemoniorum futura sit, ex qua re progressus belli videatur aptus. Tum tertium actum ab inexspectata deditione insulae, qua nobiles Spartiatae capti sint, incipere (IV, 37); etiam Cythera expugnari et Lacedaemonem desperare; in Sicilia pacem componi, bellum Atheniensium et Lacedaemoniorum lente et negligenter duci; procellas belli excitatas videri sedari, et tandem revera indutias fieri, et paulo post pacem in quinquaginta annos confici. Sed hanc pacem similem esse tranquillitati aestus, dum fulgura et tonitrua immineant, fervidissimi; divinari propinquam eruptionem tempestatis, atque iam in extremo tertio actu Alcibiadem, fatalem ducem factorum postremorum huius magni certaminis, prodire, et statim totam vim et insignem magnitudinem ingenii eius apparere (V, 40 sqq.). Actum finiri ita, ut lector maiores res, quam quae adhuc gestae sint, exspectet. Continuo igitur eum (a libro VI ineunte) ad fastigium expositionis perduci; magnam expeditionem ab Atheniensibus in Siciliam susceptam proponi ante oculos eius; simul Pelo-

ponnesum esse erectam et sollicitam, atque ab ea anxie et invidiose molitiones Atheniensium observari. Nodum esse nexum, et exitum incipere explicari. Diu pugnantes in Sicilia a fortuna ludibrio haberi, dubia, ad utros se convertat. Tandem Athenienses terra marique vinci, classem et exercitum plane deleri, omnium perturbatione, luctu, lamentatione moenia urbis repleri. Iactam esse aleam, certamen decretorium decretum esse (l. VII extr.). Sed restare postremum et ultimum actum magnae tragoediae; Alcibiadem cum summo splendore prodire, ab eo fortunam quasi captam teneri et in patriam reduci; valde erigi ab eo Athenas, et effici, ut lances, quibus fortuna utrorumque imposita sit, suis ponderibus librentur. Sed fatali mentis caecitate Alcibiadem innocentem expelli; sine ulla spe salutis effuse pulcherrimam Graeciae civitatem in perniciem ruere, atque tragoediam hanc sublimem et animos graviter commoventem labe et interitu Atheniensium potentiae et magnitudinis concludi.

Quae igitur in his dramatica sint, ea non solum cerni in opere trifariam in initium, mediam partem, exitum diviso, quam divisionem iam Aristoteles in fabula scenica necessariam esse dicat, sed non minus in alacritate narrationis et brevitate sermonis res sensibus subiiciente; deinde in eo, quod suo quidque tempore et loco atque in iusto lumine collocatum, pro ea vi, quam habeat ad totam rem, appareat; tum in factorum causis et consecutionibus perspicue patefaciendis, qua de re in proximo capite disseretur; item in plastica, ut ita dicamus, conformatione rerum, quae non singulas quasdam partes ostendant, sed plenae et integrae conspiciantur; omnino in vivida explicatione quum universae rei tum singulorum factorum ex principiis et argumento. Etiam multas orationes interpositas ad hanc rem conferre, quanquam iis solis, id quod Creuzer (Art. histor. Gr. p. 166 sq. et 319) censeat, dramatica historiae forma nequaquam nitatur. Hanc itaque esse artem historicam Thucydidis non positam in iis, in quibus eam quaerat Schlegel (Hist. liter. I. p. 45).

Haec igitur Ulrici l. d., cuius huc pertinent etiam proximae superiores paginae, quibus expeditionem Siciliensem

esse cardinem et fastigium narrationis Thucydideae (cf. Plut. Nic. c. 1) demonstrare maxime studuit. Cui, si hunc scriptorem, id quod Ullrichii verbis primo capite expositum est, ab initio solam primorum decem annorum belli historiam scribere voluisse existimamus, quatenus primum quidem eius consilium spectatur, assentiri in iis, quae de hac compositionis arte dixit, non poterimus. Sed etiamsi aut Ullrichii opinionem reiiciamus, aut a Thucydide mutato demum consilio, quum totum bellum scribere constituisset, hanc compositionem excogitatam esse arbitremur, in iis, quae supra commemorata sunt, reperiuntur, quae non videantur probari posse. Nam primum quod tertium actum tragoediae, quam fingit, a IV, 37 vult incipere, id, quum ibi in media relatione impetus in Sphacteriam facti versemur, haud dubie improbandum. Sed etiamsi pro illo capite IV, 27, a quo certe novus locus incipit, substituerimus, ne ibi quidem ullum morae cuiusdam et intercapedinis narrationis vestigium est. Contra V, 26 quum maiorem quandam, quae per se constare posse recte putetur, partem finiri scriptor ipse satis significaverit, eidem parti totum reliquum librum quintum paene sex annos vel omne tempus inter pacem Niciae et susceptam expeditionem Siciliensem interiectum complectentem adiungere non possumus. Praeterea certamen Lacedaemoniorum et Argivorum, quod ibi exponitur, quum in eo esset, ut illi principatum Peloponnesi amitterent, nisi hos eorumque foederatos apud Mantineam vicissent, tam grave fuit et a Thucydide tam copiose explicatum est, ut nec huius nec obsessionis et expugnationis Meliorum, in qua scriptor item non sine studio quodam immoratur, ab Ulricio in descriptione sua mentionem fieri mirum sit. Ita enim efficitur, ut haec omnia videantur quasi appendix primi Alcibiadis ad rempublicam accessus, quam unam saltem rem ille ex omnibus per illos sex fere annos gestis commemorat. Quae quum ita sint, nos hanc huius historiae tanquam tragoediae in quinque actus divisionem sequi non possumus.

Cap. VIII.

Quale sit genus historiae a Thucydide excultum.

Qualem Thucydides ipse historiam suam esse voluerit, et quorum hóminum potissimum usui eam destinaverit, discimus I, 22, 4, ubi cf. adn. A recentioribus autem appellatur interdum *κριτική*, *πραγματική*, *πολιτική*, qua de re nunc nonnulla dicamus.

Et criticam quidem hanc historiam esse maxime ostendere studuit Heeren („Ideen über die Politik, den Verkehr u. den Handel cet." vol. III, 1, p. 389 sqq. ed. IV), qui ab iis, qui ante Thucydidem res gestas scripsissent, historias temporum praeteritorum esse compositas, ipsum docet scriptorem rerum suae aetatis factum esse. Hinc omnem proprietatem operis eius ortam esse, saepe, maxime a veteribus criticis, in dictione, eloquentia, aliis rebus minoribus quaesitam. Argumento ipso factum eum esse criticum. Nam omnia ei sciscitando exploranda fuisse ea aetate, qua partium studiis et cupiditatibus omnia depravata essent. Simul rebus eius tenebras fabularum obductas non fuisse, nec fuisse in iis ullam iucunditatem epicam. Quare nihil aliud ei potuisse esse propositum nisi id, ut narraret vera. „Huic viro" inquit „Musa ea, quae historiae praeest, penetralia sua aperuit; certius hoc neque ante eum neque postea quisquam terminos historiae et fabulae constituit. Hoc vero quid est aliud quam totius ex historia nascentis eruditionis orientis et occidentis? et si clare cogitare nobiscum volumus, quanta sint ea, quae ex hac eruditione consequantur, etiam totius doctrinae orientis atque occidentis? quarum terrae partium discrimen maximum hoc est, quod in regionibus ad occidentem spectantibus ars critica exculta est, in iis, quae ad orientem vergunt, nunquam. Iure igitur ingentem dicimus progressum a Thucydide factum esse, iure eum defendimus aetate sua superiorem fuisse." Haec tamen non sine veri superlatione quadam dicta esse ex c. IV eo loco, ubi Thucydidem de heroi-

bus domesticis non aliter atque vulgum sensisse ostendimus, apparet.

Pragmaticam autem historiam Thucydidis ideo vocare possumus, quia non solum casus fortuitos et facta ipsa, sed etiam rationem causasque et consecutiones rerum spectandas atque ingenia populorum, virorum illustrium, omnis saeculi verbis exprimenda censuit. Hoc autem fecisse Thucydidem iam ex eo, quod causas belli Pelop. diligentissime exposuit, atque ex his fictas a veris, ut supra vidimus, distinxit, intelligi potest. Praeterea ab his utrisque causis rursus principium belli seiungit, plane ut praecepit Polybius libro III; hoc enim principium esse impetum a Thebanis in Plataeas factum non obscure significat lib. II ineunte. Sed non solum in hoc bello, verum etiam in Corcyraeo (I, 25 sqq.), in foedere, quod Athenienses cum Corinthiis fecerunt (I, 44), in seditionibus, quibus Graecia perturbata est (III, 82), in expeditione in Siciliam suscepta (VI, 7 sqq.) atque alibi causas rerum accurate exponit. Nec minus, quorsum res evasissent, explicatum esse intelligi potest ex iis, quae de vi, quam pestilentia Attica et seditiones ad mores Graecorum corrumpendos habuerint, II, 53 et III, 83 disseruntur. Consilia autem et ingenia populorum et hominum, qui his praeessent, ex orationibus maxime cognosci iam supra diximus. Vere enim scribit Heilmannus l. d. p. 126 tarditatem et continuam cunctationem Lacedaemoniorum, alacritatem atque rerum novarum studium Atheniensium, ferociam et protervitatem Corcyraeorum, pacis amantem animum regis Archidami, sollicitam et aestuantem virtutem filii eius Agidis, superstitiosam pietatem, anxiam prudentiam, diu constantem fortunam secundam Niciae, iuvenilem audaciam et superbiam Alcibiadis, gnavitatem et obfirmatum animum Brasidae, fortitudinem Demosthenis, temeritatem Cleonis ipsis dictis et factis horum hominum tam bene illustrari, ut pictor artis peritus eos huius historiae ope facile oculis tam clare ostendat, quam Thucydides menti proposuerit. Cf. Marcell. §. 51, qui §. 50 Thucydidem dixit δεινὸν ἠθογραφῆσαι. A singulis autem hominibus non raro ad universam naturam humanam contem-

plandam se convertit et ex ea res gestas explicare studet. Cf. Ulric. p. 199 sqq. Omnino multae eius historiae insunt sententiae intelligentiam et honestatem acuentes atque corroborantes, quas post Neophytum Dukam in mai. ed. Prol. I. p. 343 sqq. collegimus. Et crebrum eum esse sententiis, quas proprie rhetores dicebant, agnoscit Cic. Brut. c. 7. Propter haec igitur omnia Thucydides pragmaticus rerum scriptor seu, si mavis, philosophus appelletur, neque vero, ut Polybius (cf. Wachsm. Art. hist. p. 133), ἀποδεικτικὴν ἱστορίαν composuit, vel suscepta iudicis persona, quae probaret, quae improbaret, significavit, aut argumentationibus et disputationibus variis filum narrationis interrupit.

Idem etsi res bellicas accurate descripsit, quod obsidionibus Plataearum et Syracusarum et pugnis ad Delium, Amphipolim, Mantineam, in Sicilia commissis declaratur, et maxime de bello navali, quum ipse aliquando classi praefectus fuisset, velut de proeliis in sinu Crissaeo (II, 83 sqq.) et in portu Syracusano factis, egregie explicavit, ideoque rei militaris studiosi ex his libris multa discere possunt, tamen rerum publicarum conditionem atque administrationem magis etiam spectavit. His occupatum eum tacere de literis et artibus universis iam c. V ostendimus. Quemadmodum igitur Xenophon militaris, ita Thucydides πολιτικός Graecorum historicus vere nominatur, vel historiam non solum belli, sed etiam rerum publicarum illius temporis scripsisse existimandus est. Cf. Creuz. Art. hist. p. 274 sq. (ed. 2. p. 213). Ut autem talem redderet hunc librum, oratorium quodammodo efficeret necesse erat, quia rerum publicarum historiae fons praecipuus tunc erant conciones. Cf. Creuz. l. d. Sed haec oratoria forma apud Thucydidem non est nisi subsidium et involucrum sapientiae civilis, quum apud recentiores iam inde a Theopompo et Ephoro praecipua aliqua pars sit historiae. Cf. Ulric. l. d. p. 55 sq.

Quae omnia si complectimur, quantum Thucydidi debeat historia, facile colligitur. Quod magis etiam apparebit, si eum cum Herodoto, cuius unius rerum scriptoris antiquioris librum integrum habemus, contulerimus. Fecit id quidem,

ut pauca verba Quintiliani Inst. X, 1, 37 sermonem magis respicientis omittamus, iam Dionysius Hal. Ep. ad Cn. Pomp. c. 3 sqq.; sed et more suo iniquior in Thucydidem fuit, et singulas similitudines atque dissimilitudines utriusque respexit. Quantum autem universa ars historiae conscribendae per Thucydidem profecisset, hac comparatione nos ostendere studuimus Prol. I. p. 15 sqq., quibuscum tamen cf. Baehr. ad Herodot. IV. p. 403 sqq. Ex omnibus scriptoribus antiquitatis nemo Thucydidi similior est quam Tacitus; 'nam plerique imitatores eius non compositionem neque sententiarum gravitatem, sed, qua de re paulo post loquemur, dictionem imitati sunt, et ne eam quidem universam, sed aut singula vocabula et locutiones, aut „quum mutila quaedam et hiantia locuti sunt, germanos se putant esse Thucydidas." (*Cic.* Orat. 9, 32.) Quales pusillos imitatores Thucydidis irrident Luci. de conscr. hist. §. 15, Cic. l. d. et Brut. 32, 287 et ad Qu. fratr. 2, 13, 4, Virg. Catal. 2, 3. Tacitum autem cum Thucydide comparavit Roth „Ueber Thucydides und Tacitus, vergleichende Betrachtungen", Monach. a. 1812. Discrimina vero utriusque breviter explicare studuit Raumer („Antiquar. Briefe" p. 28) his verbis: „Maiorem cognationem quam Herodotus cum Livio Thucydides videtur habere cum Tacito. Depravatio et rerum publicarum et imperii est summa magnarum eorum tragoediarum. Verumtamen aetate Thucydidis libertas et ingenii vis nondum ita in omnibus emortuae erant, ut aetate Taciti. Illum enim secuti sunt viri, quales fuerunt Demosthenes, Aristoteles, Lysippus, Apelles; post hunc omnia praecipitia abierunt. Hinc acerba eius rerum humanarum contemptio et desperatio, qui affectus animi etiam cum lectore communicatur, quum Thucydides nondum desperet, et ultra eius relationes rerum bellicarum multa admirabilia videamus, non, ut Romae, commune sepulcrum populorum et ipsius patriae. Narratione parvarum rerum bellicarum sane fatigamur apud Thucydidem, sed Taciti bella Parthica non sunt suaviora; et quum Thucydides inter se cohaerentia secundum aestates atque hiemes saepe iniucundius divellat, Tacitus transitus 'singula connectentes invenire omnino non studet,

sed abrupte a re ad rem transit. Quamvis sententiosae et subtiles nonnullae sint orationes Taciti, tamen non cernitur in iis tam integrum iudicium et tanta varietas sententiarum, quanta in orationibus Corinthiorum, Lacedaemoniorum, Atheniensium ante initium belli habitis, tantum pulchritudinis excellentissimae, quantum in Periclis, tam acerbus luctus, quantus in concione Plataeensium. Quam dolendum est a Thucydide non totum opus ut primos libros perfectum esse, Taciti multa scripta inaestimabilia perisse! Sed delectemur iis, quae restant, neve unquam pusillo et fastidioso animo vincatur in nobis ea admiratio, quae sola incendere studia nostra et erigere nos potest."

Praeter Tacitum quidem etiam Sallustius Thucydidi in nonnullis est similis, sed maxime in dictione et in singulis quibusdam sententiis. Cf. ed. mai. Prol. I. p. 372 sqq. Livius autem in universa compositione et arte a Thucydide adeo differt, ut eos comparari a Rapino, cuius commentatio etiam in patrium sermonem conversa est (Augsb. 1767), potuisse iure mirere.

B.

De elocutione Thucydidis.

Etiam de hac parte conferendus est Heilmannus de ingenio et sermone Thucydidis Opusc. vol. II. p. 156 sqq. et in interpr. Germ., tum Bauer et in libello „De lectione Thucydidis optima interpretandi disciplina" et in Philologia Thucydideo-Paulina, nos in Observationibus criticis in Thucydidem et in Prolegom. ed. mai. p. 1. Perierunt libri antiquorum scriptorum huc pertinentes, velut Euagorae, praeter scripta Dionysii Hal. ea, quae nominavimus initio huius voluminis.

Quanquam Thucydidem ut Platonem et Demosthenem in *τοῖς μέγα δυνηθεῖσιν ἐν εὐφραδείᾳ καὶ ἑλληνισμῷ παλαιοῖς*

numerat Sextus Emp. p. 620 extr. ed. Bekk., tamen elocutionem Thucydidis iam antiquis temporibus fuerunt qui reprehenderent, ut Claudius Didymus (vid. Suid. in v. *Δίδυμος*) et, quem in hoc numero secundum superiorem commentationem exspectabis, Dionysius Halicarnassensis. Cf. Marcell. §. 53. Dionysio Thucydidis sermo saepe molestus (*ὀχληρός* p. 888), affectatus (*περίεργος*) et acerbus (*πικρός* p. 913), puerilis (*μειρακιώδης*), frigidus (*ψυχρός* p. 935), aenigmatis et Heracliti tenebris obscurior (p. 936 et 929), perplexus et labyrinthis intricatior (p. 913 et 928) videtur, et alia plurima convicia in eum effundit. Dionysii iudicium hac quoque in re plurimi secuti Thucydidem praecepta grammaticorum pleraque contemnere ac violare clamitarunt. Cuius rei culpa magna ex parte etiam in quosdam homines doctos coniicienda est, qui Thucydidis libros vel ediderunt vel illustrare studuerunt. E quibus Abreschius in Dilucidationibus Thucydideis, quum eiusmodi praeiudicatis opinionibus teneretur et iusta grammaticae quum universae tum Graecae cognitione, quae tunc paene interierat, careret, maxime in verborum ordine tantum sibi indulsit, ut nihil tam contortum atque absonum cogites, quod ille non a Thucydide dici potuisse sibi persuaserit. Reiskius autem quae senserit de elocutione Thucydidea, docent verba eius interpretationi orationum Germanicae praeposita. Nec multo melius, quanquam minus horridis et asperis verbis, iudicarunt Gottleberus et Bauerus. Sed hoc, quod plurimorum olim fuit, iudicium duae res sunt quae cuique sine ira et studio iudicanti valde suspectum reddant. Nam Dionysium Halicarnassensem, ubi de argumento a Thucydide electo et tractato loqueretur, modo intelleximus adeo halucinatum esse, ut eum de sermone huius historici non integrius iudicasse facile suspicemur, praesertim quum eum ipsum sermonem, quem tantopere vituperat, in Antiquitatibus non modo imitetur, sed saepe exscribat. Vid. Henr. Steph. Oper. in Dion. Hal. c. XVI et ed. mai. Proleg. I. p. 356 sqq. et Suppl. p. 45. Deinde Thucydidis dictionem praeter Dionysium tot scriptores Graeci, ut de Philisto, qui magis compositionem quam elocutionem Thucydideam imitatus

videtur (cf. Dion. p. 426 sq. et 779 sqq.), et de Creperio Calpurniano, puerili imitatore (de quo vid. Lucian. de conscr. hist. §. 15), taceamus, omnium maxime Dio Cassius (vid. ed. mai. Proleg. I. p. 365 sqq. et Suppl. l. d.) et Procopius (vid. ed. mai. II, 1. p. 77 sqq.), paulo rarius Arrianus (vid. ed. mai. Proleg. I. p. 369 sq. cum Suppl.), Appianus (vid. ibid. p. 370), Dexippus (qui adeo *ἄλλος μετά τινος σαφηνείας Θουκυδίδης* ridicule vocatur, cf. Nieb. Corp. script. Byz. I. p. XVII sq. et ed. mai. Suppl. p. 46), Eunapius nonnullique scriptores recentiores (vid. ead. Suppl. p. 47), imitati sunt, ut aut hos puri et elegantis sermonis Graeci ignaros, aut Thucydidem idoneum eius magistrum esse necesse sit statuas. Quid, quod ipse Demosthenes Thucydidis libros in deliciis habuisse et sua manu aliquoties descripsisse dicitur (cf. Tayl. in Reisk. Orat. VIII. p. 751), quanquam, ut solent magna ingenia suum sibi dicendi genus fingere neque ex aliorum auctoritate pendere, non sententias formulasque dicendi praeter paucissimas e Thucydide deprompsit, sed vim, gravitatem, sublimitatem orationis lectione eius sibi comparavit. Cf. Wolf Prolegom. in Lept. p. XI. Cicero autem de Orat. II, 13, 57, *Thucydides*, inquit, *omnes dicendi artificio mea sententia facile vicit.*

Sed ne auctoritatibus solis fides habeatur, paulo diligentius rem investigemus. Quum autem de dictione universa Cicero de orat. I, 32, 144 tradat praecipi primum, ut pure loquamur; deinde, ut plane et dilucide; tum, ut ornate; post ad rerum dignitatem apte et quasi decore (pro quibus extremis III, 10, 37, ubi similia repetit, ad id, quodcunque agitur, apte congruenterque dicit; cf. eiusd. Orat. §. 79) *; de his quatuor virtutibus sermonis deinceps disseramus, ita tamen, ut tertiam cum quarta, sine qua recte de ea iudicari non potest, coniungamus.

---

* Addunt nonnulli brevitatem, sicut Diogenes Laert. II, 40, 59 *ἀρετὰς λόγου* dicit esse quinque, *Ἑλληνισμόν, σαφήνειαν, συντομίαν, πρέπον, κατασκευήν·* sed brevitas non in omnibus generibus scriptorum est commendanda. Alii pro ornatu et brevitate simplicitatem et vim commemorant.

Cap. IX.

De integritate sermonis Thucydidei. Spectatur maxime natura dialecti eius Atticae.

Primum igitur integritate sermonis incorrupta excellere Thucydidem ipse Dionysius p. 775 clare fateri videtur, quum eum dicat diligenter servasse purum atque formae et characteris, qui dicitur, Graecae linguae retinentem sermonem (*Πρώτη τῶν ἀρετῶν γένοιτ' ἂν — ἡ καθαρὰ τοῖς ὀνόμασι καὶ τὸν Ἑλληνικὸν χαρακτῆρα σώζουσα διάλεκτος· ταύτην ἀκριβοῦσιν ἀμφότεροι, Ἡρόδοτός τε ... Θουκυδίδης τε*) atque Atticae dialecti optimam normam (*ἄριστον κανόνα τῆς Ἀτθίδος*) esse. At ei laudi, qua Thucydides formam et quasi ingenium Graecae linguae servasse dicitur, repugnat quod p. 791 et 867 legimus, ab eo usus vocabulorum inverti, verba pro nominibus et vicissim nomina pro verbis, activa pro passivis et passiva pro activis poni, substantivorum numeros, genera, casus libere commisceri eorumque naturas mutari, atque in verbis tempora confundi. Quae omnia si, quod statuere videtur censor ille, temere facta essent a Thucydide et praeter reliquorum scriptorum morem, non modo Graecae, sed omnium linguarum naturam neglexisset, nec sermone soloecismi speciem prae se ferente, sed vere soloeco usus esset, quem utique in eo reprehendit Dionysius p. 907. Sed haec crimina vana esse examinatis singulis exemplis, quae ad rem confirmandam aut Dionysius ipse aut recentiores nonnulli ab eo decepti protulerant, ostendimus ed. mai. Proleg. I. p. 89—207. Neque vero, si sermo eius illis vitiis contaminatus esset, Atticae dialecti norma esse posset, id quod praeter Dionysium testantur complures, ut Phrynichus apud Photium cod. 158 his verbis: *εἰλικρινοῦς καὶ καθαροῦ καὶ Ἀττικοῦ λόγου κανόνας καὶ στάθμας καὶ παράδειγμα ἄριστον Πλάτωνά τε καὶ Δημοσθένην μετὰ τοῦ ῥητορικοῦ τῶν ἐννέα χοροῦ, Θουκυδίδην κ. τ. λ.* Quare eius testimoniis saepissime utuntur Atticistae.

Quum autem Atticae dialecti duae, si non tres, reperiantur et aetates et formae, Thucydides, ut tragici, antiquiore vel vetere dialecto, quam mediam Matthiae Gr. I. p. 18 appellat, utitur. Vid. Dion. Hal. p. 454. Marcell. §. 52 et de duplici dialecto Attica cf. quos citat Sturz. de Dial. I. p. XXXV. Cuius dialecti proprietates si spectamus incipientes a literis et primum quidem a consonantibus, Thucydides *λ* non *γ* in *μόλις* posuit, quanquam non prorsus constanter in libris legitur. Vid. sd. VII, 40, 3. Item *γ* in *γίγνομαι* et *γιγνώσκω* servato *γίνομαι* et *γινώσκω* usquequaque videtur sprevisse. *Οὐδείς*, non *οὐθείς*, apud eum scribendum esse certum est. Vid. sd. VI, 60, 2. Tum *ξύν*, non *σύν*, semper videtur dixisse. Vid. Marc. §. 52 et sd. IV, 25, 3. Probabile est eundem scripsisse semper *θαρσεῖν*, non *θαῤῥεῖν*, et similia. Vid. sd. VI, 11, 6, quanquam dubitationem quandam possunt movere *δέῤῥειν* II, 75, 5 (ubi tamen vid. sd. et adn.) et *Μυῤῥίνη* VI, 55, 1. *Σσ* in vocabulis aut has literas aut *ττ* habentibus constanter praeterquam in *ἄττα* videtur ponendum. Vid. sd. IV, 29, 4. *Σ* simplex denique an duplex in nonnullis nominibus propriis urbium sit collocandum, magis est dubium; cf. adn. VIII, 24, 2 et sd. V, 4, 3, VIII, 42, 4 et 101, 2. De *σφάζειν* autem non mutato in *σφάττειν* vid. adn. VII, 84, 5. *Π* et *τ* pro mollioribus *β* et *δ* in nonnullis nominibus propriis et in *πελιτνός* leguntur. Cf. sd. II, 49 et adn. II, 100, 3. Ex vocalibus *ε* in *ἐθέλειν* nisi per crasin non videtur abiecta esse. Cf. adn. VII, 18, 2. *Παιωνίζειν* et *παιωνισμός* constanter legitur, maior dubitatio est de nomine primigenio, sitne *παιάν* an *παιών*. Cf. sd. VII, 75. Ex diphthongis *αι* in *καίειν* servatam esse verisimile est. Cf. sd. II, 49, 5. Quod idem de *αἰεί* tradit Marcellinus §. 52, ubi tamen vid. adn. *Ἐλάα* invenitur VI, 99, VII, 81. *Οἰστός* pro *ὀϊστός* ad telum significandum nuper restitutum est. Vid. sd. II, 75. Pro *εἰς* plerumque *ἐς* legitur, non tamen sine exceptionibus quibusdam. Vid. sd. II, 38, 2 et IV, 32, 1. *Εἵνεκα* libri Vat. VIII, 89 et vulgatum *οὕνεκα* pro *ἕνεκα* VI, 56 improbanda sunt. Cf. ibi sd. Pro *κλείειν* usquequaque *κλῄειν* scribendum. Cf. sd. I, 109, 4. Syracusani semper

Συρακόσιοι nominantur, urbs eorum *Συράκουσαι* vel potius *Συρακοῦσσαι*. Cf. sd. V, 4, 3.

In accentibus *ἑτοίμου*, *ὁμοίου*, *ἐρήμου* adiectivorum libri mss. non raro a praeceptis grammaticorum dissentiunt. Vid. sd. I, 21, 3 et cf. de *τροπαίῳ* sd. I, 54, 1. Neque in iis, quae de spiritu aspero *ἀθρόος*, *ἀθροίζω*, *ἀνύτω* verborum grammatici explicant, libri iis obsequuntur. De *εἴργειν* autem et *εἵργειν* vid. sd. I, 35, 3.

In crasibus quibusdam aut admittendis aut vitandis hic scriptor parum sibi videtur constitisse. Cf. sd. III, 90, 4, VII, 12, 3, VII, 24, 3, VII, 68, 2, VIII, 24, 5, VIII, 28, 4. Hiatum non fugisse Thucydidem testatur Cicero Orat. c. 44, §. 151 (cf. etiam Demetr. de Eloc. §. 72), et ex quavis paene pagina intelligitur. Improbandum est igitur, quod Bekker in ed. ster. hiatus saepe singulorum librorum mss., velut aliquoties mediae auctoritatis cod. Gr., ope expulit discrepantes scripturas ne adnotans quidem usquam. Non desunt tamen exempla *ε* vocalis etiam ibi elisae, ubi paulisper in legendo subsistendum et virgula ponenda nobis videtur. Cf. sd. IV, 129, 3. De suspectis quibusdam elisionibus cf. sd. II, 43, 5, VII, 1, 4, VII, 43, 2. (Ferri non potest Bekkeriana *ἐγένετ' αὐτῷ* VIII, 33.)

Accedimus ad flexiones nominum, ubi primum secundae declinationis accusativos *Κῶν*, *Τέων*, *Ἄθων*, *ἀγήρων*, *ἀξιόχρεων* in transcursu adnotamus. Cf. sd. VIII, 41, 2 et II, 43, 2. *Νεώς* semper legitur apud Thuc., non *ναός* (vid. Betant. Lex.); nihilominus *Πρωτεσίλαος* scribitur VIII, 102. In tertia declinatione singulare est *Προσωπίτιδα* I, 109, 4, ubi vid. adn. *Κέρατι* videtur reiiciendum (cf. sd. VII, 6, 3), etsi *κέρατα* exstat V, 71 (non VI, 71, qui numerus invenitur Krueg. Gr. §. 18, 9, adn. 1). De flexionibus *ἥρωας* et *ἥρωϊ* vid. adn. IV, 88, 2 et V, 11 (*ἥρως* et *ἥρῳ* poetica videntur Kruegero Gr. §. 20), de *πόλει* duali adn. V, 23, 1. Nominum in *εύς* desinentium nominativus pluralis apud Thucydidem ubique *ῆς* videtur pingendus esse (cf. ed. mai. Prol. I. p. 221 sq.); in accusativo pluralis tam constanter *έας* legitur, ut *τοὺς Πλαταιεῖς* II, 76 ex Laur. corrigere non dubitaverimus. (Alius

generis est υἱεῖς VI, 30.) Pura in εύς exeuntia non semper contrahi vidimus in adn. I, 15, 3. Cf. sd. V, 3, 2. Accusativus eorum nominum propriorum, quae in ης finiuntur, sitne η an ην, saepe dubitatur. Cf. sd. VIII, 5, 1, VIII, 50, 2, VIII, 107, 2. Adiectiva nonnulla, quibus ternas terminationes tribuendas existimes, interdum sunt generis communis. Cf. adn. I, 2, 2, IV, 21, 2, V, 112, 3, VI, 21, 1, VI, 43, 1, et de comparativo adn. III, 89, 5, de contraria autem re sd. VII, 57, 2 et adn. VII, 72, 3. Ex adiectivorum tertiae declinationis flexionibus ἡμίσεις illustravimus adn. VIII, 64, 1, comparativi terminationem ονα contractam aut non contractam sd. VII, 28, 3 (ubi adde μείζονα II, 11). De adiectivi σῶς formis Thucydideis falsa praeceperunt ii grammatici, quorum locos attulit Sturzius de Dial. p. 53, aliique, nisi, quod fecit Dindorfius in Steph. Thes., apud eos verba quaedam transposita esse malumus suspicari; consuetudini convenienter σῶοι legitur I, 74, σῶν III, 34. Ex comparationis flexionibus παλαιότατος iuxta παλαίτατος adnotavimus sd. I, 18, 1. In comparativo πολύς adiectivi utrum πλείων an πλέων dicendum sit, saepe ambigitur. Cf. de πλείονος et πλέονος sd. VIII, 91, 1, de πλείονες et πλέονες, πλείονας et πλέονας sd. VIII, 73, 6, de πλειόνων et πλεόνων sd. VII, 27, 4, de πλείοσιν et πλέοσιν sd. VIII, 73, 3, de πλεῖον et πλέον adn. VII, 36, 5 et sd. VIII, 53. Ex numeralibus δύο, si Zander (de vocab. δύο usu) locos recte p. 46 computavit, ter et septuagies sine ulla scripturae discrepantia, III, 51 et V, 76 sic, ut δύω formae perexigua sit auctoritas, legitur, unde hanc prorsus spernendam esse certissimum videtur, etsi Zander maluit δύω duali vindicare. De δυοῖν et δυεῖν cf. sd. I, 23, 1, de δυοῖν cum plurali iuncto sd. V, 84, 1, de δύο indeclinabili sd. VII, 50, 2, de δυσίν denique adn. VIII, 101. Pronominis οὗ in singulari dativo solo hic scriptor utitur (II, 13, IV, 28, VII, 49), pluralis omnibus casibus. Τοιοῦτος in neutro singularis et τοιοῦτον et τοιοῦτο flectitur. Cf. sd. VI, 33, 6, VII, 87, 2. Quare non deterius est τοσοῦτο bonorum librorum VIII, 76, etsi τοσοῦτον legitur II, 88, VII, 59. Accedunt denique ταὐτόν et ταὐτό.

Verborum augmentum primum si spectatur, in βούλομαι et μέλλω temporale Thucydides adhibuisse non videtur (cf. sd. II, 2, 3), contra et ἐδυνάμην et ἠδυνάμην dixit. Εἰκάζειν sitne bis an semel ab eo augmento instructum, parum constat. Cf. sd. II, 54, 5. Ab ευ incipientibus verbis vix usquam addidit augmentum. Cf. sd. I, 58, 1 et II, 18. De suspecto διωθοῦντο cf. adn. II, 84, 3, de ἀνηλοῦτο et ἀναλοῦτο adn. III, 81, 3, de καθῆντο et ἐκάθηντο adn. V, 58, 4, de καθῖσαν (καθεῖσαν) et καθῖσε (καθεῖσε) sd. VI, 66, 1 et VII, 82, 3. (Contra ἐκαθεζόμην constanter legitur.) Super singularibus παρημέλουν et παρηνόμησαν consule adn. I, 25, 3 et III, 67, 5. Plusquamperfecti augmentum etiam apud Thucydidem aliquoties omissum est. Cf. adn. I, 89, 3. Quanquam complura exempla controversa sunt (cf. sd. II, 86, 1, IV, 24, 2, IV, 133, 1, VII, 33, 6, VII, 44, 3, VIII, 66, 2), et nuper E. Schmidtius de Plusquamp., quoniam sine augmento praeterquam in ἑστάναι sedecies, cum augmento octies et nonagies legeretur, illa exempla aut restitutis vocalibus aut crasibus tollere aggressus est. Quid, quod adeo ἑστήκειν aegre agnovit, etsi hoc quater et decies, εἱστήκειν undecies inveniri affirmat. — Ad alia ut progrediamur, verba in ίζω exeuntia apud Thucydidem constanter recipiunt futurum Atticum; improbandum igitur fuit ψηφίσονται VI, 25. Ab eodem scriptore futurum verborum in σω desinentium etiam eorum, quae longam vocalem servarent, interdum ad similitudinem praesentis contractum esse exemplis parum certis demonstrare nonnulli conati sunt. Cf. Buttm. Gr. max. §. 95, adn. 16 et Matth. Gr. §. 181, 2, c, quos citavimus iam in adn. ad III, 58. Σ in perfectis passivi et nominibus inde ductis interdum retentum videtur, ubi id omittendum esse quidam suspicati sunt. Cf. sd. II, 92, 1, III, 54, 1, IV, 26, 5. Plusquamperfectum, quod apud Thucydidem per η scribi dicunt grammatici apud Eustathium ad Od. ψ, 220 (cf. Phav. in ᾔδειν), in tertia quidem persona singularis semper ει habet in omnibus libris; prima autem persona omnino non reperitur apud hunc scriptorem. Cf. Buttm. Gr. max. §. 97, adn. 14--16. Secunda persona praesentis passivi et medii desi-

natne in ει an η, de eo cf. sd. I, 129, 3. Imperativorum tertiae personae et activi et passivi in ωσαν exeuntium exempla Thucydidea attulit Matth. Gr. §. 198, 1, §. 203, 4, §. 216, 2. Optativi Atticas formas quanquam frequentat Thucydides, tamen ne communes quidem prorsus ab eo sperni docent *δοκοῖ* II, 79, II, 100, III, 16, *προσχωροῖ* IV, 105, *φθάσαιεν* III, 49, *νομίσαιεν* V, 111. In passivi aoristi optativo repe- riuntur etiam solutae formae tertiae personae pluralis (*ειησαν*), vid. adn. I, 28, 1 et Matth. Gr. §. 204, 8, quibus flexionibus respondent *εἴησαν* I, 9 et alibi atque *φαίησαν* VIII, 53. *Τιθέναι*, *διδόναι*, *ἱέναι* verborum imperfecta activi, ut apud alios Atticos (cf. Matth. Gr. §. 210, 1), etiam apud Thucydidem in singulari nonnunquam ad similitudinem verborum contractorum flecti docuimus in ed. mai. I, 129. Cf. Krueg. Gr. §. 36, 9, adn. 1. Idem de *ὤμνυον* imperfecto dicendum (vid. adn. V, 19, 2), atque legitur etiam *ἀπολλύουσιν* (vid. adn. IV, 25, 5). Cf. Matth. Gr. §. 207 et 210, 1, Krueg. Gr. §. 36, 9, adn. 2. *Τιθέναι* verbi etiam imperativus *τίθει* invenitur VI, 14. Cf. Matth. §. 210, 6. De optativo et coniunctivo praesentis passivi et medii atque aoristi secundi medii *τιθέναι* et *ἱέναι* vocabulorum magnus dissensus est. Cf. sd. I, 33, 1, I, 64, 1, I, 71, 4, I, 78, 1, VI, 10, 4, alibi. *Ἰέναι* verbi imperfecti tertiam personam pluralis esse *ᾖεσαν*, non *ᾖσαν*, vidimus in adn. ad I, 1, 1. De singularibus quibusdam flexionibus verborum anomalorum item in adnotationibus explicatum est, ut de suspecto *ἐδεδίεσαν* IV, 55, 3, de *προσῇξαν* II, 97, 3, de *προσήρχοντο* IV, 121, 1.

In his igitur Thucydides quanquam aliqua habet aliter ab aliis scriptoribus Atticis dicta, tamen ab universa Attica dialecto non recedit. Sed reperiuntur apud eundem nonnulla, quae Ionicae potius aut Doricae dialecto convenire videantur, sed maxima ex parte aut idoneam habent excusationem, aut suspecta sunt. Et a singulis literis rursus ut incipiamus, suspectum est *αὖτις* pro *αὖθις*, de quo cf. sd. V, 116, 2, atque *Διοςκούρων* et *Διοςκούρειον* III, 75 (ubi cf. sd.) et IV, 110. *Περιέρξαντες* pro *περιείρξαντες* V, 11 vitupe-

rari non posse ibi in adn. ostendimus. Add. sd. VIII, 74, 3. *Ἐώθεσαν* autem pro *εἰώθεσαν* scripsisse Thucydidem finxisse videntur Suidas, Photius, Phavorinus; certe in libris mss. nusquam legitur. Ielysi urbis nominis epica forma VIII, 44 servata est, quod item fecerunt alii. Cf. ibi sd. et Add. Deinde pertinent huc aliquot solutae formae pro contractis. Et *βορέας* quidem, quod identidem legitur, quum *βοῤῥᾶς* non exstet nisi semel (cf. Betant. Lex. Thuc.), vix est cur afferatur, quandoquidem eadem inconstantia apud Xenophontem et alios invenitur. Cf. Schaef. Melet. p. 111 et Steph. Thes. ed. rec. Maiori offensioni sunt *Μαλόεντος* et *Μαλόεντα* III, 3 et *Σολόεντα* VI, 2 (a quibus, ut Selinuntem taceamus, discrepant *Ἁρματοῦντα* VIII, 101, *Ἐλαιοῦντα* VIII, 102); sed nominum propriorum flexiones apud populares usitatas nonnunquam retineri etiam infra videbimus. De *τριακονταέτεις* et *πεντηκονταετίδων* vid. sd. V, 14, 4, de *εὐνόων* adn. VI, 64, 2. *Πλέει* IV, 28, 1 non dubitavimus in *πλεῖ* mutare; cf. ibi sd. Tum ut pergamus ad singulas declinationes, in primae femininis iis, quibus urbium nomina significantur, *Ἐφύρη* I, 46, quod testimonio veteris grammatici confirmatur, si recte scriptum est, ea nominum propriorum licentia, quam modo attigimus, excusatur (cf. tamen ibi sd.), quae excusatio minus valet in contrario *Πολίχναν* VIII, 14, ubi cf. adn. Masculina pleraque, quibus nomina virorum Doriensium exprimuntur, quum in *ας* flectantur (velut Epitadas, Epitelidas, Hippolochidas, Hipponoidas, Isarchidas, Ischagoras, alia plurima, cf. Ind. nom.), non mirum est etiam in genitivo Doricum *α* interdum servatum esse, ut legitur *Πλειστόλα*, *Κλεαρίδα*, alia, quae vide ad script. discr. I, 59, 2. Cf. Krueg. Gr. §. 15, adn. 2. *Ἰθωμήτα* I, 133 si recte exaratum est, terminatio Dorica cum *η* non Dorico est coniuncta, ut in *Ἡγησιππίδαν* VIII, 52. (Sed cf. hic adn., illic sd.) Contra *Πύθεω* (de Ione quodam) et *Τήρεω* (de Thrace) exstat II, 29, ibi cf. adn. In tertia declinatione memorabiles sunt genitivi *Ἀφύτιος*, *Γοάξιος*, *Κνίδιος*, de quibus vid. adn. I, 64, 2. Ex verbis de *τετάχαται*, *ἐτετάχατο*, *ἐφθάραται*, similibus satis dixit Matth. Gr. §. 204, adn. 1. *Ἑσσαμένων* denique III, 58

et *κεχμηῶτας* III, 59, etsi in orationibus leguntur, spernenda existimavimus. Cf. ibi sd.

De Dorica dialecto duorum foederum cf. adn. V, 77.

Cap. X.

De perspicuitate sermonis Thucydidis, maxime de studio eius synonyma, quae dicuntur, distinguendi, de verbis obsoletis aut novatis de obscuritatis natura et causis.

Praeter integritatem deinde perspicuitatem sermonis postulari supra audivimus. Quam virtutem historico quoque debere esse nominatim dicit Lucianus de conscr. hist. §. 43 sq. verbis *ἡ λέξις δὲ σαφὴς καὶ πολιτικὴ, οἷα ἐπισημότατα δηλοῦν τὸ ὑποκείμενον*, et *τῇ φωνῇ αὐτοῦ (τοῦ συγγραφέως) εἷς σκοπὸς ὁ πρῶτος σαφῶς δηλῶσαι καὶ φανότατα ἐμφανίσαι τὸ πρᾶγμα.* Et altero loco quomodo paretur haec virtus, declarat adiectis his verbis, *μήτε ἀποῤῥήτοις καὶ ἔξω πάτου ὀνόμασι, μήτε ἀγοραίοις καὶ καπηλικοῖς, ἀλλ' ὡς μὲν τοὺς πολλοὺς συνεῖναι, τοὺς δὲ πεπαιδευμένους ἐπαινέσαι.* Et plenius Cicero de Orat. III, 13, 49 perspicuitatem dicit effici Latine (Graece) dicendo, verbis usitatis ac proprie demonstrantibus ea, quae significari ac declarari velimus, sine ambiguo verbo ac sermone, non nimis longa continuatione verborum, non valde productis iis, quae similitudinis causa ex aliis rebus transferantur, non discerptis sententiis, non praeposteris temporibus, non confusis personis, non perturbato ordine. Hanc igitur perspicuitatem a Thucydide abiudicans *σκολιάν, πεπλεγμένην, δυςπαρακολούθητον, δυςείκαστον καὶ τοῖς δοκοῦσιν ἐμπείρως ἔχειν*, omnino vero *ἀσαφῆ*, eius dictionem appellat Dionysius Hal. p. 893 et 915, atque exemplis hanc obscuritatem confirmare studet et ibi et p. 806 sq. et p. 929. Atque Cicero Orat. c. 9 conciones certe Thucydideas ita multas habere obscuras abditasque sententias dicit, vix ut intelligantur. Paulo mitius iudicant Hermogenes, qui (*Ἰδεῶν* l. II extr.) *ἀσαφέστερον*, et Cicero in

Bruto c. 7, qui subobscurum Thucydidem vocat (cf. ibid. c. 17), atque lenius etiam Marcellinus §. 50, cui est *ἐν μὲν τοῖς μέρεσι σαφής, ὑπὸ δὲ τὴν σύνταξιν ἐνίοτε ἄδηλος*.

Et sane a Dionysio rem verbis auctam et exasperatam esse primum iam inde coniicere possumus, quod et Graece, id quod primum ad perspicuitatem postulavit Cicero, Thucydidem locutum esse c. IX intelleximus, et verbis proprie demonstrantibus ea, quae significari velit, eum usum esse sine ambiguis vocibus ideo probabile videri debet, quia Marcellinus §. 36 ei tribuit *ἀκριβολογίαν ἐπὶ τοῖς ὀνόμασι*, in qua diligentia Prodicum Ceum ei exemplo fuisse credit. Cf. ibi adn. Idque confirmatur studio Thucydidis vocabula aut idem declarantia aut similes notiones habentia discernendi. Ita distinguuntur ab eo *ἐπιμαχία* et *συμμαχία* I, 44 et V, 48, *ἐπιτείχισιν πόλιν ἀντίπαλον παρασκευάσασθαι* et *φρούριον ποιεῖσθαι* I, 142, *αἰτία* et *κατηγορία* I, 69, *ξυμφορά* et *κακοπαθία* VII, 77, *ξύμβασις* et *ὁμολογία* V, 5, *ξυνθῆκαι* et *σπονδαί* VIII, 37, *πλοῖα* et *νῆες* IV, 116, *πλοῖα* et *ὁλκάδες* VII, 7, *χρησμολόγοι* et *μάντεις* VIII, 1, *λόγια* et *ἃ χρησμολόγοι ᾖδον* II, 8, *κρήνη* et *πηγή* II, 15, *ἱερόν* et *νεώς* IV, 90, *οἶκος* et *οἰκία* IV, 14, *τέγος* et *ὀροφή* IV, 48, *παραίνεσις* et *ἐπικέλευσις* IV, 95, *φρόνημα* (*αὔχημα*) et *καταφρόνημα* II, 62, *ἀφροσύνη* et *ἀξυνεσία* I, 122, *μεταβολή* et *μετάστασις* II, 48, atque ex verbis *ἀδικεῖσθαι* et *βιάζεσθαι* I, 77, *ἐπαναστῆναι* et *ἀποστῆναι* III, 39, *ἐπαίρεσθαι* et *θαρσεῖν* VIII, 2, *παροξύνειν* et *ἐξορμᾶν* VI, 88, *προςήκειν* et *ἄξιον εἶναι* VI, 16. Cf. omnibus his locis adn. Contra proprietas sermonis neglecta videatur non distinctis *πύστις* et *ἐρωτᾶν* I, 5, *αἰδώς* et *αἰσχύνη* I, 84, *οἶκτος* et *ἔλεος* III, 40, *φόβος* et *δέος* IV, 84 et 88; sed horum omnium discrimina a grammaticis excogitata parum a scriptoribus curantur, atque in his exemplis vocabula variandae orationis causa commutata sunt, sicut *ἀγών* et *μάχη* IV, 91, *αἰτία* et *πρόφασις* I, 23, *γνώμη* et *ξύνεσις* II, 62. Cf. singulis in locis adn. Interdum tamen ea discrimina, quae Thucydides alibi sequitur, videmus neglecta. Quod non mirum est ita fieri, ut latius patens vocabulum pro distinctioribus substituatur, velut *ξυμμαχία* pro *ἐπιμαχίᾳ* (cf. adn. I, 44) et fortasse *τειχισμός* pro

ἐπιτειχισμῷ (cf. ad. V, 17). Pauca quaedam alia, si sunt integra, maiori offensioni sunt, ut κατασκευή pro παρασκευῇ VIII, 5, ἐςβάλλειν pro προςβάλλειν IV, 25, ἐςβολή pro προςβολῇ III, 31; sed ne ea quidem excusatione carent. Cf. ibi adn.

Est igitur porro explorandum, sitne Thucydides usus verbis consuetis. Quod negat Dionysius, qui p. 791 et 793 ei tribuit dictionem partim obsoletam (ἀπηρχαιωμένην), partim novam (ξένην) atque audacem, omnino obscuram intellectu (δυςείκαστον τοῖς πολλοῖς) et explicatione indigentem (γλωσσηματικήν). Et Marcellinus §. 52 Εὑρετής, inquit, ἐστὶ καινῶν ὀνομάτων. τὰ μὲν γάρ ἐστιν ἀρχαιότερα τῶν κατ' αὐτὸν χρόνων· — τὰ δ' ἴδια, οἷον ... καὶ ὅσα ἄλλα παρ' ἄλλοις μὲν οὐ κεῖται, ὑπ' αὐτοῦ δὲ λέλεκται.

De quibus criminibus quid iudicandum sit, ut appareat, age, primum ea verba enumeremus, quae obsoleta vel omnino inusitata et difficilia intellectu iudicantur. Et Dionysius quidem p. 793 habet haec: ἀκραιφνής I, 19, ubi vid. adn., et alibi, περιλογισμός vel, ut in aliis libris scribitur, ἐπιλογισμός, quorum neutrum quum apud Thucydidem exstet, legendum est fortasse ἀναλογισμός (cf. III, 36, VIII, 84), περιωπή IV, 87, ubi cf. adn., ἀνακωχή vel ἀνοκωχή I, 40, ubi vid. adn., et alibi. His a Photio et Suida in v. περιωπή adduntur πίσυνος, de quo cf. adn. II, 89, atque πύστις I, 5, I, 136, qua voce aut auditionis aut sciscitationis notione usos esse Aeschylum, Euripidem, Platonem, Dionysium, Dionem Cass., alios docetur in Steph. Thes. ed. rec. A Thoma improbatur παραίρεσις, quod nomen Thucydides I, 122 habet, sed legitur idem apud Platonem, Aristotelem, Dionem Cass. Vid. Steph. Thes. Tum Marcellinus §. 52 haec enotavit, quae dicit ἀρχαιότερα τῶν κατ' αὐτὸν χρόνων: αὐτοβοεί, de quo cf. adn. II, 81 et interpr. Moer. in h. v., πολεμησείοντες I, 33 (cf. adn. I, 95, 7), in cuius usu Thucydidem secuti sunt Dio Cassius, Appianus, Procopius, alii (cf. Steph. Thes.), παγχάλεπον et ἁμαρτάδα, quorum neutrum apud Thucydidem exstat, denique φακέλους ὕλης II, 77, de quibus verbis satis disseruerunt interpretes Moeridis p. 393 sqq. His postremo pauca quaedam a recen-

tioribus, ut ab Heilm. Opusc. vol. II. p. 176 sqq., allata accedant, de quibus vide ed. mai. Prol. I. p. 241 sq.

Sequuntur verba quae Thucydidis propria et iccirco ab hoc scriptore facta dicuntur. Huc a Scholiaste refertur *διαγνώμη* I, 87 al., quo post eum usi sunt Aristides (t. II. p. 660 ed. Dind.), Dio Cass., Zonaras; deinde *ἐπιχειρητέα* I, 118 et II, 3, quod in singulari certe etiam Plato et Demosthenes usurparunt, plurales autem eiusmodi verbalium omnibus Atticis frequentissimi sunt; tum *ξύλωσις* II, 14, ubi vid. adn., *κωλύμη*, de quo vid. adn. I, 92, ridicule *μαρτύριον* I, 33, denique *πρέσβευσις* et *καταβοή* et *καταβόησις*, de quorum duobis vid. adn. I, 73, *καταβόησις* autem, quod his ibi addit Schol., apud Thuc. non legitur, et scholion ipsum hac in re vitium videtur traxisse. Cf. Koen. ad Greg. Cor. p. 50. A Marcellino §. 52 affertur *κωλύμη*, quod modo adfuit, *ἀποσίμωσις*, *ἀποτείχισις*, de quibus cf. ibi et ad locos, quos ibi diximus, adn. A Polluce nominatur *ἀνάδοτος* III, 52, cui frequentiora *ἔκδοτος* et *πρόδοτος* sunt similia. Thomas M., *ἀκρατία*, inquit, *ἀδυνασία καὶ ἀνοητία παρὰ Θουκυδίδῃ μόνῳ*. Ex quibus *ἀκρατία* et *ἀνοητία* apud Thuc. non inveniuntur, de *ἀδυνασίᾳ* vid. adn. VII, 8. Accedat ex eodem Thoma *ἐκπλήγνυσθαι* IV, 125, ex recentioribus *ἄνοσος* (cf. adn. II, 49) et pauca quaedam alia (vid. ed. mai. Prol. I. p. 243 sq. cum Suppl.).

Iam haec verba inusitata aut novata, si ea, quae apud Thuc. omnino non reperiri aut complurium probatorum scriptorum communia esse aut paulo ante aut in adnotationibus docuimus, detraxeris, et pauca sunt et singula eiusmodi, ut ex flexionibus et compositionibus notiones eorum satis intelligantur et iccirco obscuritatem efficere non possint. Deinde recte Cicero de Orat. III, 38, in iis, quae orator afferat ad illustrandam atque exornandam orationem, numerat inusitata verba aut novata. Pergit quidem dicere inusitata verba, quae prisca fere sint ac vetustate ab usu quotidiani sermonis iam diu intermissa, poetarum licentiae quam oratorum liberiora esse. Et similiter Orat. 20, 68 poetarum licentiam statuit maiorem esse faciendorum iungendorumque verborum. Addit

tamen de Orat. l. d. priscis verbis loco positis grandiorem atque antiquiorem orationem saepe videri solere. Et similiter faciendi verba potestatem oratoribus vindicat. Orat. 24, 80 et alibi. Quod autem de oratoribus, idem quum de universis historicis antiquis, siquidem veterem historiam oratoris generi scribendi similiorem esse quam recentem c. XI videbimus, aut aeque aut, si Quintiliano in historia verbis remotioribus (i. e. exquisitioribus et minus usitatis) narrandi taedium evitari Inst. t. X, 1, 31 affirmanti credimus, etiam magis iudicandum est; quare paene omnia verba a Thucydide novata a Dionysio, Dione, Procopio, aliis historicis non spreta esse in adnotationibus demonstravimus, apud Romanos autem Sallustius item novator verborum vocatur; tum Thucydidi haec licentia magis quam aliis concedenda est, quia eum sublime genus historiae scribendae secutum esse infra intelligemus.

Eadem igitur re audaciores translationes, si quae reperiuntur, excusantur; sed eas insuper paucissimas esse videbimus c. XI.

Quum igitur ne his quidem minuatur perspicuitas, et tamen in libris Thucydidis complures difficiles et obscuros locos inesse negari non possit, haec obscuritas in sermonis conferta brevitate (vel quod, quae Ciceronis Brut. 7, 29 verba sunt, compressione rerum brevis est, cf. Dion. p. 793) et sententiarum cum brevitate nimio acumine (Cic. Brut. 17, 66), interdum in insolentiore verborum collocatione (διὰ τὸ ὑπερβατοῖς χαίρειν Marcell. §. 56) et implicatiore membrorum relatione, rarius in variata oratione, qua, quae inter se respondeant, minus manifestum fit, et vicissim, sed rarissime, in eiusdem flexionis, ut duplicis accusativi (VI, 10, 1, VII, 86 extr.) et ternorum genitivorum (cf. adn. I, 143, 2) concursu, quaerenda est. Quarum rerum primam certe ex natura generis historici eius, quod Thucydides secutus est, et studio interdum nimio insignis virtutis ortam esse infra c. XII apparebit; sed collocationis quoque insolentiam cum expetita ab hoc scriptore sublimitate cohaerere c. XIII videbimus, varietatem autem, de qua c. XIV exponetur, ornatum certe

sermonis Tacito quoque valde probatum esse nemo ignorat. Ceterum haec obscuritas primum cernitur maxime in nonnullis locis oratoriis, ut in laudatione funebri, descriptione tumultus Corcyraeorum, colloquio Atheniensium et Meliorum; historicae enim partes quum omnes satis dilucidae, tum nonnulli loci, ut ii, quibus res a bello Medico usque ad Peloponnesiacum gestae explicantur (I, 24 sqq. I, 89 sqq. I, 126 sqq.), adeo perspicuitate atque facilitate excellunt, in qualibus locis leonem risisse grammatici dicunt. Cf. Schol. ad I, 126 et Valck. ad Herodot. p. 407. Deinde parta aliqua cum hoc scriptore familiaritate tenebrae eatenus certe dispelluntur, ut, si locos obscuriores diligentius consideraveris, sententias plurimorum certo perspicias. Meditatione tamen aliqua in multis orationum partibus, quotiescunque interiecto aliquo tempore ad eas revertare, opus erit. Neque ideo reprehendendus est hic scriptor, qui non temporibus succisivis animos legentium relaxare atque exhilarare, sed a viris prudentibus, qui utilitatem ex historiae lectione percepturi essent, scripta sua versari voluit. Cf. Marcell. §. 35 et I, 22. Praeterea quum ex argumento ipso multum pendeat natura sermonis historici, id quod infra declarabitur, cogitandum est belli civilis et discordiarum intestinarum temporibus sensa et cogitata saepe significari magis quam aperte declarari solere et sic obscuritatis quoddam studium oriri. Quanquam hoc non in eam partem accipiendum est, ut consulto Thucydidem obscure locutum esse Marcellino et Didoto credamus. Cf. Marcell. §. 35 et ibi adn.

Cap. XI.

Servaveritne Thucydides poeticae et solutae orationis atque historici et oratorii generis discrimina, quaeritur. Enumerantur maxime poetica, quae visa sunt, vocabula, flexiones, verborum compositiones, item figurae vel poeticae vel oratoriae.

Deinceps quoniam, servaveritne Thucydides *τὸ πρέπον*, id est, scripseritne ad id, quod agitur, convenienter, quaerendum est, quum prosa oratione historiam composuerit, ante omnia, distinxeritne satis genus dicendi numeris adstrictum et solutum, investigandum videtur. Quam differentiam ab eo neglectam esse complures contendunt, afferentes verba verborumque flexiones vel significationes vel compositiones, quae quum propria sint poetarum, tamen in Thucydidis historia reperiantur. Vid. Dion. Hal. p. 794. Marcell. §. 41. Heilm. l. d. p. 178.

Et ex verbis quidem a Dionysio l. d. nominantur *κωλύμη*, *πρέσβευσις*, *καταβοή*, *ἀχθηδών*, *δικαίωσις*. Sed „in l. citato Dionysii *τὸ ποιητικὸν τῶν ὀνομάτων*, quod is memorat inter proprietates Thucydidis, non est fortasse forma poetica vocabulorum, quemadmodum intellexit H. Stephanus postque eum interpretati sunt bene multi, sed vis effectrix vocabulorum, i. e. fingendorum vocabulorum licentia. — Non ait igitur Dionysius l. citato *δικαίωσις*, *καταβοή*, *κωλύμη*, *πρέσβευσις* esse vocabula poetica, nec profecto, quantum memini, hodie saltem apud poetam leguntur ullum; sed ait ea primum fabricata esse a Thucydide.“ HASE in Steph. Thes. v. *πρέσβευσις*. De *κωλύμῃ*, *καταβοῇ*, *πρεσβεύσει* iam in superiore capite dictum est, super *δικαιώσει* cf. adn. I, 141. Nec rectius *ἀχθηδών*, de quo vid. adn. II, 37, inter poetica refertur. A Marcellino §. 52 adiiciuntur *ἐπιλύγξαι*, *ἐπηλύται*, *ἀνακῶν*, quod non rectius factum esse ibi adnotavimus. Ab aliis grammaticis antiquioribus afferuntur *ναυβάτης* (I, 121, VII, 75, VIII, 44), quod legitur etiam apud Herodotum et in Plut. Dione c. 35, *πεζικός*, de quo vid. ad. VI, 33, 2,

ἔσθημα, super quo cf. adn. III, 58, 3; a recentioribus pauca quaedam alia, quae enumeravimus ed. mai. Prol. I. p. 254 sq. et in Suppl. Cf. adn. IV, 28, 3, IV, 92, 5, V, 18, 4, sd. III, 38, 5 al.

Flexiones, quae poeticae videantur, non inveniuntur nisi δορί, de quo vid. adn. I, 128; nam ἐσσάμενος et κεκμηῶτες, quae in oratione Plataeensium legebantur, mutare non dubitavimus. Cf. sd. III, 59. Neque medium προειδόμενος vel προϊδόμενος recte huc referes. Cf. adn. IV, 64, 1. Item significationes vocabulorum poeticae vix ullae reperiuntur. Nam quod κεκμηκότες mortui sunt vocati, de eo vid. adn. III, 59. Male a Thoma allatum est ὑφίστασθαι de pollicendo dictum. Cf. adn. IV, 39. Εὐνάς denique Photius VI, 67 male intellexit. Vid. ibi adn. Ex compositionibus verborum poeticis commemorant tmesin, cuius exemplum Thucydideum III, 13 idoneam excusationem habet (vid. ibi adn.). Deinde Dionysius p. 887 ποιητικῆς, μᾶλλον δὲ διθυραμβικῆς σκευωρίας, vel paulo post περιφράσεως ποιητικῆς οἰκειότερα affirmat esse τῶν τ' ἐπιχειρήσεων ἐπιτεχνήσει (rectius περιτεχνήσει III, 82) καὶ τῶν τιμωριῶν ἀπορίᾳ, et τὴν εἰωθυῖαν τῶν ὀνομάτων ἀξίωσιν, et τὴν εἰς τὰ ἔργα ἀντηλλαγμένην δικαίωσιν. Sed de ἐπιτεχνήσει vel περιτεχνήσει vid. adn. III, 82. Ἡ τῶν τιμωριῶν ἀτοπία quid poeticum olere visa sit Dionysio, prorsus non intelligitur. Ἀξίωσις τῶν ὀνομάτων pro σημασίᾳ sane insolitum est vocabulum, sed an poeticum iure appelletur, incertum est. Denique „quomodo τὴν εἰς τὰ ἔργα ἀντηλλαγμένην δικαίωσιν ex Thucydidis verbis (III, 82, 4) elicere potuerit, equidem non perspicio. Nec magis video, quaenam sit periphrasis poetica, quam in iisdem invenisse sibi videtur" (KRUEG. ad. Dion. l. d.), fortasse quia ipsam vocem δικαίωσιν poeticam existimavit. (Vid. supra.)

De figuris, quae nonnullis poeticae esse visae sunt, paulo post loquemur. Quod autem numeri nonnulli poetici sive versus Thucydidi exciderunt, ut hexameter dactylicus II, 49, alii numeri dactylici (vid. adn. I, 13, 6 et Burges. Proleg. p. 216 et 326), senarii iambici VII, 87, 5 et VIII, 78, idem optimis scriptoribus et Graecis et Latinis accidit. Cf. adn. II, 49.

Haec igitur omnia si complectimur, primum longe plu-

rima, quibus discrimen sermonis numeris vincti et soluti a Thucydide neglectum esse demonstrare studuerunt, patet esse ficta. Deinde non praetereundum est a veteribus criticis, Demetrio, Dionysio, Quintiliano, Luciano, magno consensu cognationem historiae et poesis agnosci. Cf. Creuz. Art. histor. p. 241 sqq. (ed. 2. p. 187 sqq.) et Ulric. Historiogr. ant. p. 301. Quintilianus Instit. X, 1, 31 historiam adeo proximam poetis et quodammodo carmen solutum vocat. Cautius Graeci, ut Dionysius p. 942 init., loquuntur, apud quorum nonnullos insuper dubium est, utrum in hac re magis ad orationem an ad universam compositionem respiciant, quod alterum facit certe Lucianus de conscr. hist. c. 45. Iam quum Thucydides ab epica historiae compositione, quam imitatus erat Herodotus, longissime recesserit, poeticae rerum gestarum narrationi omnium Graecorum maxime adversetur, Homeri auctoritatem in historia non magni fecerit, poeticus color orationis ei minus quam aliis nonnullis scriptoribus convenit. Et re vera multo magis poeticus apud Romanos est sermo Taciti; apud Graecos autem, ut de Herodoto taceamus, in Xenophontis scriptis historicis multo plura poetica verba reperiuntur (vid. disputat. de Xenoph. dial. in Cyri disciplina a nobis edita), isque haud raro Homerum imitatus est; quod fecisse etiam Thucydidem quomodo vel credideris affirmantibus Marcellino §. 37 et Scholiastae l. IV extr. vel demonstraveris? Nam nos quidem vix alium ullum scriptorem Graecum tantum ab Homero discedere iudicamus. Omnia tamen vocabula Homerica, quorum multa per Herodotum et alios scriptores Ionicos in sermonem historicorum transierant, vitare non potuit; sed „*Θουκυδίδης κἂν λάβῃ παρὰ τοῦ ποιητοῦ τι*“ inquit Demetrius de Eloc. §. 113, „*ἰδίως αὐτῷ χρώμενος ἴδιον τὸ ληφθὲν ποιεῖ.*“ Cf. adn. IV, 64, 3. Certe et horum et reliquorum poeticorum vocabulorum perexiguus apud eum est numerus, et pleraque etiam alii historici Attica vel communi dialecto scribentes usurpare non dubitaverunt, Thucydides autem compluribus aliis rectius. Nam quum multas orationes historiae inseruerit, quas vel a viris ut victus et cultus magnificentia, ita sermonis splendore atque omnino vi

dicendi eminentibus, vel certe iis temporibus, quibus Gorgias aliique facundi sophistae per omnem Graeciam in maximo honore erant (vid. Marcell. §. 36), habitas ponit, quid mirum est, quod in concionibus potissimum aliquot sublimiora, rariora ideoque poetis grata vocabula non sprevit? Cf. Marcell. §. 56 et Schol. et adn. ad VI, 18, 4. Quare plurima *ποιητικώτερα*, ut *ἔσθημα*, *εἰσάμενος*, *κεκμηκότες mortui*, in orationibus leguntur. Sed similiter in historia ipsa sermoni, ubi alacrior fit, ut interdum in descriptionibus proeliorum et rerum atrocium, facile poetici aliquid admiscetur. Cf. Luci. l. d. Quanquam id fere etiam oratorium existimari potest.

Ex variis enim prosae orationis generibus historicum ab oratorio etsi iam a veteribus diligenter discretum esse affirmat Creuzer l. d. p. 243 (188), et Quintilianus Instit. X, 1, 31 plerasque historiae virtutes oratori esse vitandas dicit, id tamen non de universo genere oratorio, sed de forensi intelligendum esse ex Strabonis et Ciceronis verbis, quae Creuzer adscripsit, apparet. Nam sophistarum generi finitimam esse historiam ait Cicero Brut. §. 66 (cf. Iahn ibid. ad §. 37); atque historicum genus sicut forense vel iudiciale oratorii partem esse censuisse veteres demonstrat Ulric. l. d. p. 111 sq. et p. 302. Neque vero hoc non consentaneum erat, quum magna pars librorum historicorum ex orationibus constaret, in quibus genus dicendi oportebat esse oratorium. Cf. Luci. de conscr. hist. c. 58 extr. Quod inde etiam in partes quasdam vere historicas, in quibus maior narrationis gravitas et magnificentia spectaretur, transisse non mirum est. Quare ibidem figurarum crebriorem usum invenimus. Nam etsi Quintilianus l. d. historiae liberiores figuras quam oratori tribuit, et Dionysius p. 887 sq. nonnullas lumina, quibus Thucydidem delectatum esse cognoscemus, poetica appellat, constat iam ante Thucydidem ea a Gorgia, Polo aliisque sophistis, ut splendidiorem efficerent sermonem, in solutam orationem recepta esse. Cf. Dion. H. p. 792, 808, al. Quos quum alii secuti sunt scriptores, tum Thucydides figurato dicendi genere non raro utitur. Ita Dionysius p. 790 *τὴν τροπικὴν λέξιν* eum dicit *παραλαβεῖν* et (cf. p. 867) *ἐπὶ τῶν σχηματισμῶν*, *ἐν οἷς*

μάλιστα ἐβουλήθη διενεγκεῖν τῶν πρὸ αὐτοῦ, πλείστην εἰςενέγκασθαι πραγματείαν. Et postquam nonnulla commemoravit, quae ex parte iam alibi a nobis considerata sunt, pergit p. 792 (869): *εὕροι δ' ἄν τις οὐκ ὀλίγα καὶ τῶν θεατρικῶν σχημάτων κείμενα παρ' αὐτῷ, τὰς παρισώσεις λέγω καὶ παρομοιώσεις καὶ ἀντιθέσεις.* Similiter Marcellinus §. 36, *ἐζήλωσε δέ,* inquit, *ἐπ' ὀλίγον καὶ τὰς Γοργίου τοῦ Λεοντίνου παρισώσεις καὶ τὰς ἀντιθέσεις τῶν ὀνομάτων, εὐδοκούσας κατ' ἐκεῖνα καιροῦ παρὰ τοῖς Ἕλλησι.* Cf. ibid. §. 51. Postea tamen hoc iudicium tantum ad verborum, non ad sententiarum figuras pertinere dicitur §. 56: *ποικιλώτατος μὲν ἐν τοῖς τῆς λέξεως σχήμασι, κατὰ δὲ τὴν διάνοιαν τοὐναντίον ἀσχημάτιστος.* Quales autem intelligat ibi grammaticus sententiarum figuras, statim ipse significat haec subiiciens: *οὔτε γὰρ εἰρωνείαις, οὔτε ἐπιτιμήσεσιν, οὔτε ταῖς ἐκ πλαγίου ῥήσεσιν — κέχρηται.* Quae tamen non sine exceptionibus quibusdam vera esse ibi docuimus.

Ex figuris verborum non sprevit primum aliquoties translationem, quare *τὴν τροπικὴν λέξιν* ab eo receptam esse Dionysium modo asseverantem audivimus. Exempla translationum reperiuntur in adn. ad III, 15, III, 57, IV, 60, IV, 85, IV, 87 extr., V, 102, V, 103, VI, 10, VI, 14, VI, 18, identidem VI, 86. Quod autem Marcellinus §. 41 harum translationum nonnullas poeticas appellat, respicere videtur ad eiusmodi, quales sunt *στορεννύναι τὸ φρόνημα Πελοποννησίων* VI, 18 in oratione Alcibiadis et *προσελόντες φόβον* VI, 86 in oratione Euphemi. Nec procul ab hoc genere discedunt verba immutata, „in quibus pro proprio subiicitur aliud, quod idem significet, sumptum ex re aliqua consequenti" (Cic. Orat. §. 92. cf. Quint. Inst. VIII, 6, 23 sqq.). Multa eiusmodi, sed maxima ex parte aliena, congessit Bauer de lect. Thuc. p. 52 sqq. Huc referri possunt *ἀξίωσις* pro *ἀξιώματι* (cf. adn. II, 34, 6), *φέρειν ἀρετήν* I, 33 et *κακίαν ἀντιλαβεῖν* III, 58, *ἐπισκευή facultas reficiendi* I, 52, *περιτείχισις facultas circumvallandi* IV, 131, similia, qualia exstant II, 44, IV, 35, V, 29, in quibus nihil singulare inesse ex adnotationibus intelligitur *.

* Adde de postremis Naegelsb. Stilist. §. 58 b. p. 159.

Nec mirum quod Ἑλλάς I, 6 pro Ἕλλησι invenitur. Cf. ibi adn. Tum aliquoties de classibus et navibus ut de animantibus Graeci loquuntur. Cf. adn. II, 80, III, 4, al. Satis usitata item sunt ἐπιόντα πόλεμον II, 36, ubi vid. adn., vix hic commemoranda ὁ σῖτος ἐςπλεῖ et similia, de quibus explicatum est ad II, 93, 4. Sed duriora et nonnullis suspecta sunt πλέοντα τὸν ἐπίπλουν II, 90, exquisita τοὺς πρεσβυτέρους αὕτη ἡ σκευὴ κατέσχε I, 6 (ubi vid.), III, 45, IV, 62, V, 65, quae fictae personae inductionis existimari possunt exempla, ob qualia Dionysius p. 803 πρόσωπα apud Thucydidem ait fieri τὰ πράγματα. Add. Marc. §. 53. Eiusdem generis sunt abstracta, quae dicuntur, posita pro concretis (cf. Bau. l. d. p. 50), velut δουλεία V, 23, γυμνητεία VII, 37, φυγή VIII, 64, rariora ἐπιδρομαί (quod unum exemplum pluralis ita positi apud Thucydidem est), ἐπίπλους, κύκλωσις, de quibus vid. Arn. ad IV, 127, παρουσία VI, 86, ut taceamus communia πρεσβεία et ξυμμαχία.

Deinde Thucydides nonnunquam adnominationi studuit et ut pariter extrema terminarentur eundemque referrent in cadendo sonum effecit, i. e. posuit similiter conclusa eodemque pacto cadentia. Qualia leguntur I, 33 extr., II, 62, 3, III, 39, IV, 62, IV, 74, VI, 76, VII, 15, al., ad quorum exemplorum nonnulla iam adscripti sunt loci rhetorum Graecorum huc spectantes. Similis figura est, quum paria paribus referuntur et contrariis opponuntur contraria. Exempla duo (I, 70 et III, 82) suppeditat Dionysius p. 808, parum aptum profert Demetrius de Eloc. §. 25, paulo aptius Hermogenes IV. p. 421. Cf. II, 40 et III, 38, ubi aliquoties talia inveniuntur, item III, 40, IV, 61, VII, 34, Heilm. de serm. Thuc. p. 189 sq. Itaque de Thucydide verum non est quod Cicero Orat. §. 39 scribit, Herodotum et Thucydidem longissime a talibus deliciis vel potius ineptiis, quibus uterentur Thrasymachus, Gorgias, Theodorus, abfuisse.

Iam haec omnia non forte excidisse Thucydidi, ut forsitan similis vocabulorum exitus I, 2 init., sed consulto ab eo collocata esse manifestum est. In hac autem orationis conformatione graviter reprehensus est a nonnullis. Nam Dionysius hos

vocat σχηματισμοὺς μειρακιώδεις (p. 808) et ψυχρούς (p. 929), et gravius etiam in Thucydidem hac de causa invehitur Reiskius in praefat. interpr. orat. Thuc. Sed cogitandum est primum in hac parium et contrariorum relatione multa aptissimis locis posita esse, ubi civitates vel homines, quorum ipsae indoles contrariae sunt, comparentur, et nonnullos horum locorum adeo miram habere suavitatem, ut qui VII, 34 invenitur. Reliqui autem omnes nunquam in narratione rerum gestarum, sed in orationibus et iudicio de seditionibus Graecis, quae pars libri III plane ad orationum naturam conformata est, reperiuntur. Deinde eloquentiam si talem ostendere voluit scriptor, qualis tunc erat et magni ob Gorgiae, de quo vid. Cic. Orat. §. 167 et 175, aliorumque sophistarum auctoritatem aestimabatur, in orationibus quidem hoc figurato sermone utendum erat. Omnium frequentissimae hae figurae sunt in Hermocratis et Alcibiadis orationibus ob causam ad VI, 18, 4 et VI, 92, 3 allatam. Sed amat easdem Isocrates. Vid. Dion. Hal. VI, p. 963 et Bensel. interpr. Isocr. in gr. p. 50 sqq. Ex aliis optimis scriptoribus Graecis nonnulla huius sermonis exempla adnotavit Krueger ad Dion. p. 133. Apud Romanos interdum Sallustius, saepius Tacitus sic loquuntur, nec desunt talia apud ipsum Ciceronem (vid. Halm. ad orat. pro Sull. 4, 12), qui Cicero orationem ita fieri numerosam demonstrat Orat. §. 164 sqq.

Cap. XII.

Diversa historici sermonis genera distinguuntur, et Thucydides, praeterquam quod, quae omnium historicorum communia sunt, retinuit, serio tristive et grandi genere usus esse et brevitati, sublimitati, varietati studuisse demonstratur. Initium fit a brevitatis studio Thucydidis, quod primum quibus in rebus non insit, deinde, quibus rebus efficiatur, ostenditur. Tractantur pleonasmi, verbositas, σχῆμα ἀπὸ κοινοῦ, βραχυλογία, similia.

Postquam, distinxeritne Thucydides sermonem poeticum et oratorium ab historico, quaesivimus, deinceps, ut eum ad id, quod agitur, convenienter scripsisse appareat, sectatusne sit ipsius generis historici virtutes, videndum est. De cuius generis dictione exposuerunt quidem nonnulla Lucianus de conscr. hist. c. 43 sqq. et Cicero Orat. c. 20 et de Orat. II, 15, sed ita, ut a forensi maxime eam discernere conarentur (cf. c. XI) et speciem quandam eius cum genere confunderent. Nam ut oratorii sermonis distinguimus genus tenue, medium, sublime, ita, quum historiam rerum gestarum speciem et quasi colorem etiam sermone referre velimus, earum vero magna sit diversitas, nascuntur diversae historicae dictionis partes. Ac primum quidem res, quae narrantur, aut laetae sunt, aut tristes, aut mixtae ex utroque genere. Ut si populorum historia scribitur, aut de florente civitatis statu explicatur, vel pace, vel etiam bello, si hoc procul a patriae finibus contra exteros prospero successu geritur, quod quum fit, homines hilares sunt atque alacres, quae cogitant, aperte dicunt, multum inter se confabulantur: aut tristia sunt tempora, patria aut a barbaris aut a tyrannis oppressa seditionibusque et bellis civilibus perturbata, quibus temporibus omnes boni cives dolent, quibus libere dicere, quae sentias, non licet et plerumque de rebus publicis plane tacent homines metuentes, necubi lateat proditor, quoniam ne cognatis quidem fides tribuitur; quibus denique res geruntur difficiles

illae quidem et arduae atque hac ex parte magnae et admiratione dignae, sed simul dirae et atroces, ita ut omnium hominum mores fiant asperi, et paene nihil iis nimis audax et novum et insolitum esse videatur. Illa tempora, qualia extremis annis belli Persici et paulo post id fuerunt, genus orationis laetum vel fusum atque tractum et cum lenitate quadam aequabili profluens desiderant, quale universum historicum esse vult Cicero de Orat. l. d.; horum autem temporum, quae bello Peloponnesiaco vidit Graecia, scriptores serio tristique sermone uti decebat. Praeter haec autem tempora alia describi possunt, quibus sedati et tranquilli sint animi et quibus nescias dolore magis an laetitia afficiare; his igitur simplex quoddam et temperatum dicendi genus est consentaneum. Addimus rudem sermonem, qui in primordiis historiae inveniri solet et aut omnino incomptus et ieiunus est, aut a poesi non satis differt; denique sophisticum seu fucatum dicendi genus, in quo quum res eloquentiae ostentandae causa narrentur, verborum lenocinia potissimum spectantur, quo fit, ut hoc genus germanae historicae elocutioni repugnet, cuius est de re laborare, non de verbis.

Iam antiquissimorum Graecorum historicorum sermo qualis fuerit, ignoramus, quum eorum libri ne Dionysii quidem temporibus superfuerint. Cf. Dion. p. 863 sq. Qui vero inter bellum Medicum et Peloponnesiacum scripserunt, usi sunt plerique dialecto Ionica poeticae simillima (λύσαντες τὸ μέτρον, τἄλλα δὲ φυλάξαντες τὰ ποιητικά Strab. l. d. p. 34); ceterum sermo eorum simplex erat (apud Marcell. §. 38 ψιλὴ διήγησις) et proprius (κυρία λέξις Dion. p. 864), deerantque ei teste Dionysio p. 865 ὕψος, καλλιῤῥημοσύνη, σεμνολογία, μεγαλοπρέπεια, τόνος, βάρος, πάθος. Cf. Creuz. Art. hist. p. 184 sqq. (ed. 2. p. 143 sqq.). Unus ex hoc numero eximendus est Herodotus, qui laetum et tractum et fluentem sermonem, plane temporibus suis convenientem, excoluit. Vid. Creuz. l. d. p. 193 sqq. (ed. 2. p. 150 sqq.). Hunc excipiens Thucydides, quae omnium historicorum communia esse debent, ut animos in factorum, quae narrent, cogitatione habeant defixos, eamque ob causam et res, quasi gerantur, sub

adspectum quasi subiiciant, atque praeteritas tanquam praesentes inducant, et sententias magis quam verba curent, ea quidem non servavit solum, sed etiam diligentius quam alii multi iis studuit.

Sectatur igitur primum evidentiam (*ἐνάργειαν*) narrationis, de qua rerum, quasi gerantur, sub adspectum quasi subiectione vid. Luci. de conscr. hist. c. 51, Voss. Art. histor. c. XXVIII, Wachsm. Historiogr. p. 139 sq. Oritur inde *τὸ παθητικὸν τοῦ λόγου*, quam virtutem Thucydidi concedendam esse ipse scribit Dionysius p. 776, ubi eum ad affectus vehementiores exprimendos (*τὰ πάθη δηλῶσαι*) meliorem dicit Herodoto, et p. 870, ubi alio sermonis Thucydidei colore declarato imprimis huc referri vult *τὸ παθητικόν*. Etiam Plutarchus in Niciae c. 1, *ἐπὶ ταῖς διηγήσεσιν*, inquit, *αἷς Θουκυδίδης αὐτὸς αὑτοῦ περὶ ταῦτα παθητικώτατος, ἐναργέστατος, ποικιλώτατος γενόμενος ἀμιμήτως ἐξενήνοχε*. Et quibus in rebus insint hae virtutes, idem de Gloria Atheniensium p. 367 exponit his verbis: *ὁ Θουκυδίδης ἀεὶ τῷ λόγῳ πρὸς ταύτην ἁμιλλᾶται τὴν ἐνάργειαν, οἷον θεατὴν ποιῆσαι τὸν ἀκροατήν, τὰ γινόμενα περὶ τοὺς ὁρῶντας ἐκπληκτικὰ καὶ ταραχώδη πάθη τοῖς ἀναγινώσκουσιν ἐνεργάσασθαι λιχνευόμενος*. Affert deinde exempla ex IV, 9, IV, 11, VII, 71 petita. Compares omnem descriptionem ultimae in Sicilia pugnae navalis et in superioribus profectionem classis in illam insulam VI, 32, Plataeensium obsidionem et ex urbe eruptionem l. II et l. III, proelia navalia Phormionis l. II extr., pestilentiae saevitiam. Add. Marcell. §. 51. Cavendum autem historico, ne modum in his descriptionibus excedat, quod crimen vitasse Thucydidem testatur Lucianus l. d. §. 57. Cf. lib. *π. ὕψους* 38, 3, ubi disseritur de VII, 84. Ceterum sermonem in eiusmodi locis ob ipsam alacritatem ad poesim propius quam alibi accedere, sed ne sic quidem in poeticum mutari posse, iam in superiore capite intelleximus.

Deinde auctor libelli eius, qui *περὶ ὕψους* inscribitur, postquam, *ὅταν τὰ παρεληλυθότα τοῖς χρόνοις εἰσάγῃς ὡς γινόμενα καὶ παρόντα, οὐ διήγησιν ἔτι τὸν λόγον, ἀλλ' ἐναγώνιον πρᾶγμα* fieri §. 25 dixit, talem plerumque Thucydidem esse addit,

quo spectat creber usus praesentis historici pro aoristo et coniunctivi pro optativo post praeterita (cf. adn. I, 19).

Tum eo, quod sermonem historici convenit esse hominis de re, non de verbis, laborantis, factum est, ut Thucydides saepius quam alii prosae orationis scriptores reciperet σχῆμα, quod dicitur, κατὰ τὸ σημαινόμενον (cf. adn. I, 110, 4, sd. I, 137, 4, adn. II, 11, 7, II, 47, 3, II, 49, 5, alibi), usitatissimum post nomina terrarum et urbium et post alia collectiva. Cf. c. XIV. Eodem continentur etiam anacolutha tam rhetorica quam grammatica (cf. adn. I, 52, 2, III, 34, 3, III, 44, 3, III, 53, 4, IV, 16, 2, IV, 48, 3, IV, 69, 3, IV, 80, 4, V, 41, 2, V, 70, V, 79, 1, VIII, 89, 3, VIII, 99, VIII, 104, 4) et συγχύσεως nonnulla genera (cf. adn. IV, 28, 4, IV, 55, 2, IV, 63, 1, IV, 131, 1), de qua συγχύσει in partitionibus et distinctionibus frequentiore infra loquemur.

Sed praeterea, quum interim tempora mutata essent, Thucydides mutavit etiam elocutionem historicam. (Cf. Dion. Hal. p. 957, ubi dictionis Thucydideae natura ita depingitur, ut cum Lysiana comparetur.) Serio igitur, quod idem triste recte dixeris (et videretur adeo hoc nomen ex consuetudine sermonis praeferendum, nisi, ne in malam partem acciperetur, verendum esset), et grandi generi dicendi operam dedit, quod in duabus rebus praecipue cerni existimamus, in arguta brevitate interdum obscuritatem atque in sublimitate interdum asperitatem non adspernante. Sed insuper varietatem quandam, quam nonnunquam recte inaequalitatem dixeris, quae severitati minus videatur congruere, sequitur, sive severitatem universam hoc alacritatis ornamento temperandam censuit, sive temporum et ingeniorum ipsorum, quas adumbravit, inconstantias exprimere voluit. Itaque brevitas, sublimitas, varietas tres praecipuae videntur esse sermonis Thucydidei proprietates, cui magna ex parte conspirat Tacitinus, cuius proprietatem verti maxime in varietate, brevitate, poetico colore demonstrare studuit Boetticher Lex. Tacit. p. XLII sqq.

A brevitate igitur ut incipiamus, eam imprimis propriam Thucydidis dicunt iam veteres critici. Cf. Dion. p. 775: ἡ

συντομία· ἐν ταύτῃ δοκεῖ προέχειν Ἡροδότου Θουκυδίδης. Id. p. 792: *ἐκδηλότατα δ' αὐτοῦ καὶ χαρακτηριστικώτατά ἐστι τό τε πειρᾶσθαι δι' ἐλαχίστων ὀνομάτων πλεῖστα σημαίνειν καὶ πολλὰ συντιθέναι νοήματα εἰς ἕν, καὶ ἔτι προςδεχόμενόν τι τὸν ἀκροατὴν ἀκούσεσθαι καταλείπειν.* Sequitur ibid. mox *τὸ τάχος τῆς σημασίας* et *τὸ πυκνόν* Thucydidis sermonis. Cf. p. 869. Lucianus de conscr. hist. §. 57 eandem brevitatem commemorans refutat simul aliquid, quod contra dici possit, scribens: *ὅταν μὲν γὰρ τὸν λοιμὸν διηγῆται καὶ μακρὸς εἶναι δοκῇ, σὺ τὰ πράγματα ἐννόησον· εἴσῃ γὰρ οὕτω τὸ τάχος* cet. Cf. Marcell. §. 50, 53, 56. Ex Latinis Cicero de Or. II, 13, 56, *Thucydides*, inquit, *ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur, ita porro verbis aptus et pressus, ut nescias, utrum res oratione an verba sententiis illustrentur.* Cf. id. de Or. II, 22, 93 et Brut. 7, 29, Quint. X, 1, 73, ex recentioribus Heilmann l. d. p. 185 sqq. (Quanquam praecipua in Thucydide virtus sit brevitas, hac eum a Sallustio victum esse affirmat Seneca rhetor Controv. IV, 24, Decl. IX, 1, quem Sallustium etiam alii Latini Thucydidis hac in re aemulum appellant.)

Quod si rogamus, quibus in rebus insit haec brevitas, non quaerendam eam esse, id quod olim multi censuerunt, in frequentiore usu ellipsis ostendimus ed. mai. Prol. I. p. 193 sqq. Ea ellipsi tantum abest ut aliter atque alii scriptores Graeci, si a controversis quibusdam (cf. adn. IV, 63, 2, II, 40, 3, sd. VI, 65, 3) discesseris, Thucydides utatur, ut ne abstinuerit quidem redundantia verborum legitima et verbositate oratoria. Cf. ed. mai. Prol. I. p. 197 sqq. Nam pleonasmi et grammatici et rhetorici apud eum reperiuntur. Illi sunt primum integrorum vocabulorum, maxime, ut taceamus de *μή* negatione post *ἀπαγορευτικὰ* posita et similibus aut ex emphasi aut ex confusionibus binorum dicendi generum ortis, de quibus cf. ed. mai. Ind. gramm. in v. Pleonasm., particularum et formularum adverbialium *ἐκ παραλλήλου* positarum vel plurium verborum explicationis causa additorum (cf. adn. I, 58, I, 95, 7, II, 9, 2, III, 68, 3, IV, 8, 6, V, 72, 1, VI, 10, 4, VI, 101 extr., VIII, 92, 9 al.). Similes

sunt nonnulli dativi instrumenti aut modi minus necessarii (cf. adn. II, 81, 5, IV, 67). Accedunt pleonasmi partium vocabulorum (cf. adn. I, 23, 4, I, 133, III, 49, 4, IV, 38, 1, VI, 73, 2, VI, 104, 1, sd. VII, 6, 2, adn. VII, 13, 2, VIII, 8, 3) et pleonasmi rhetorici, potissimum post interpositiones ἐπαναλήψεις et vocabulorum (cf. adn. III, 95, 1, IV, 73, 4, V, 22, 2, VI, 40, 1, VI, 69, 1, VII, 33, 2, VIII, 48, 1) et sententiarum (cf. adn. I, 18, 1, IV, 36, 3, VII, 42, 3, sd. VIII, 76, 4). Huc referri possunt etiam circumlocutio (ut εἶναι et γίγνεσθαι cum participiis, cf. adn. I, 1, 1 et III, 68, 4, γίγνεσθαι μηνυτήν, κωλυτήν, sim., de quibus in proximo capite dicetur, ut de ποιεῖσθαι μάθησιν et sim., item articulus generis neutrius cum genitivo rei iunctus, cf. adn. II, 60, 1), epexegesis (velut pronominis adiecto nomine, cf. adn. I, 144, 2, II, 29, 3, VII, 80, 3, vel adiecta sententia, ut II, 60, 4, III, 42, 6, IV, 92, 7 al., aut adverbii loci, cf. adn. III, 81, 3, aut expressa voce, quae iam latet in superiore, cf. II, 92 et adn. VI, 4, 5, aliaeque explanationes, cf. adn. II, 48, 3, IV, 36, 2), praecipue autem verbositas quaedam. Haec est primum simplex copia oratoria (cf. adn. III, 59, 4, VI, 87, 2), cuius sunt proprie etiam copulatio binorum vocabulorum fere idem significantium (cf. adn. V, 82, 4, V, 100, VI, 24, 3, VI, 29, 3, VII, 80, 3, quanquam hic synonymorum a Thucydide diligenter discretorum, qua de re in cap. X est dictum, memores esse debemus) et consuetudo eandem sententiam semel affirmando, semel negando contrariam, exprimendi (cf. adn. IV, 71, 4 et VII, 19, 2). Qualia omnia quum aut gravitatem aut perspicuitatem adiuvent (qua de causa in foederibus sunt aptissima, cf. adn. V, 23, 1), brevitati Thucydideae non repugnant. Cui minus congruentia videntur alia nonnulla exempla verbositatis, ut IV, 73, VI, 15, VIII, 66, VIII, 73. Ceterum ne dubitat quidem interdum, ut Sallustius (de quo vid. Kritz. ad Iug. c. 80) iterare res et sententias. Cf. adn. II, 51, 1 et IV, 90, 1. Nec parcus est in usu particularum orationis elegantiam et subtilitatem augentium. Cf. Schol. II, 41. Nec spernit anaphoram. Vid. adn. I, 85, 2. Asyndetis autem non utitur nisi

paucissimis iisque usitatis (in ἐπεξηγήσει, cf. adn. II, 60, 4, V, 71, 1, VII, 73, 3; in oppositione contrariorum, cf. adn. VII, 71, 4; post enumerationem, vid. ibid.; in gradatione, cf. adn. VI, 72, 3; ob alias causas oratorias, cf. adn. I, 81, 1, II, 75, 1, III, 13, 1, III, 63, 2, VII, 71, 4) aut suspectis (cf. ad. III, 37, 2, IV, 10, 3). Polysyndeta adeo exstant I, 80, 3, ubi vid. adn., I, 85, VI, 41, 3.

Haec igitur, quorum nonnulla, ut coniunctio synonymorum et usus anaphorae, etiam apud Tacitum reperiuntur, apud quem multo etiam saepius invenitur ἓν διὰ δυοῖν, quod dicitur (cf. adn. VII, 75, 4), ne nimiam existimemus brevitatem Thucydideam, neve in falsis rebus eam quaeramus, iubent nos cavere. Posita est igitur breviloquentia in his praecipue rebus: primum quod saepius et durius quam apud alios scriptores verba, quae ex superioribus repeti possunt, omittuntur, quod σχῆμα ἀπὸ κοινοῦ appellant grammatici; deinde quod quaedam vocabula interdum tam artificiose collocantur, ut ad bina verba incisave spectent; porro quod integrae breviores sententiae ad connectendum sermonem necessariae et media quaedam comprehensionum membra desunt et particulis tantum significantur; tum quod verba quaedam sine complementis suis ponuntur; denique quod notionum ipsarum arguta solet esse densitas et sententiae complures paucis verbis exprimuntur, quare Cicero de Or. l. s. d. pressum et Brut. c. 7 comprehensione rerum brevem, Quintilianus l. d. densum et brevem et semper sibi instantem Thucydidem appellat.

Σχήματος ἀπὸ κοινοῦ, de quo universo cf. Mehlhorn, de usu eius Thucydideo Bauer Phil. Thuc. p. 182 et nos in ed. mai. Prol. I. p. 282 sqq., plurima exempla, in quibus paria ex paribus vel non multum discrepantibus repetuntur, ut vulgaria praetermittentes, substantivum adnotamus ex adiectivo simul audiendum esse II, 45 et fortasse I, 141, 7, ubi vid. adn., ex verbo I, 90, 2, I, 91, 1, V, 47, 6 (cf. tamen ibi Add.), VII, 28, 2 (ubi cf. ad.) et fortasse I, 22. Ubi idem nomen ad duo verba referendum est, interdum secundario additur. Cf. V, 22. Sed nominum bis deinceps cogitandorum exempla incerta sunt. Vid. adn. V, 95, VII, 71.

Pronomina personalia et demonstrativa, ubi bina verba diversos casus requirentia, quorum verborum alterum in participio positum est, inter se coniuncta sunt, plerumque non adduntur. Cf. adn. I, 1, 2, V, 69, VI, 87, alibi, et Krueger ad Dion. p. 119. Demonstrativa in nominativo etiam ibi, ubi a nomine ad nomen transitur, interdum non sine obscuritate quadam omittuntur. Cf. I, 13, 5, II, 3, 4, III, 16 init., IV, 47 init., alibi. (Sed similiter apud historicos Latinos. Vid. Brem. ad Nep. Them. 5, 1. Doering. ad Liv. XXIII, 18. Beneck. ad Iust. II, 5, 5.) De *ἕκαστος* pronomine ex contrario *μηδείς* eliciendo vide adn. IV, 10. Saepissime verbum ex verbo repetendum est, et primum quidem eadem vi eademque forma, non solum vulgari modo, ut quum Athenienses I, 70 negantur ipsi *ἔχειν ἡσυχίαν, μήτε τοὺς ἄλλους ἐᾶν*, sed etiam in enunciatis causalibus I, 25, VI, 24, VII, 28, ubi cf. adn., et ita, ut verbum non ex superiore, sed ex posteriore; aut non ex potiore, sed ex secundaria enunciatione repetendum sit, cf. adn. VII, 7, 3, VII, 49, 3, VIII, 15, 1, VIII, 66, 1 et Stroth. ad Liv. XXI, 48, cuius generis sunt etiam pleraque exempla, in quibus unum verbum deinceps bis cogitandum videtur, cf. adn. IV, 46, 5, quanquam plurima horum aut dubia sunt aut controversa, cf. adn. III, 2, III, 68, 1, V, 115, VIII, 27. (Vulgare est IV, 98, 7.) Huc pertinent etiam ea quae Fickert in „Thucydide consulto ambiguo" (Vratisl. 1854) collegit, ut adverbia, casus nominum, praepositiones cum casibus suis, infinitivos, similia vocabula inter bina verba ita poni doceret, ut ad ambo spectarent, velut *αἰφνιδίως* V, 9, *πρῶτον* V, 27, *ἐκείνῃ τῇ νυκτί* IV, 103, *τῷ στρατῷ* IV, 109 et 110, *ἐς τὴν Σικελίαν* VI, 4, qualium explicatio non raro parum certa est. Ceterum repetitio eiusdem flexionis per *σχῆμα ἀπὸ κοινοῦ* fit etiam cum mutatione compositionis verborum aut inde pendentium, ut I, 36, 3, aut interpositorum, ut I, 52, 2. Denique post longam interiectionem idem verbum simul audiendum est I, 10, 2. Hactenus locuti sumus de verbi eadem forma repetenda. Sed est praeterea iterandum diverso a) genere, ut I, 74 *φαμὲν οὐχ ἧσσον ὠφελῆσαι ὑμᾶς ἢ τυχεῖν τούτου* (i. e. *τοῦ ὠφεληθῆ-*

ναι), etiam ex iis, quae sequuntur, VI, 79 in *ὅτ' ἂν ὑπ' ἄλλων* (aud. *ἀδικῶνται*), *καὶ μὴ αὐτοὶ τοὺς πέλας ἀδικῶσιν*, item genere et modo, II, 11 *τὴν τῶν πέλας δῃοῦν μᾶλλον ἢ τὴν ἑαυτῶν ὁρᾶν* (aud. *δῃουμένην*), genere et numero VIII, 87, 3 adn.; b) modo, I, 1 *καὶ τὸ ἄλλο Ἑλληνικὸν ὁρῶν ξυνιστάμενον, τὸ μὲν εὐθύς, τὸ δὲ καὶ διανοούμενον* (*ξυνίστασθαι*, et ita saepe infinitivus ex alio modo *ἀπὸ κοινοῦ* subaudiendus est, vid. adn. ibi, III, 16, IV, 93, VII, 69, durius ex iis, quae sequuntur, VIII, 41 init.), III, 16 *ἀνεχώρησαν δὲ καὶ οἱ Ἀθηναῖοι ..., ἐπειδὴ καὶ ἐκείνους εἶδον* (*ἀναχωρήσαντας*, et ita non raro participium mente ex superioribus repetendum est, cf. ibi adn.), III, 64 *δῆλον ἐποιήσατε οὐδὲ τότε τῶν Ἑλλήνων ἕνεκα ... οὐ μηδίσαντες, ἀλλ' ὅτι οὐδ' Ἀθηναῖοι* (*ἐμήδισαν*, cf. VI, 18), I, 134 *καὶ αὐτὸν ἐμέλλησαν μὲν ἐς τὸν Καιάδαν, οὗπερ τοὺς κακούργους* (*ἐμβάλλουσιν*), *ἐμβάλλειν*; c) tempore, III, 56 *εἰ νῦν ὑμῖν ὠφέλιμοι δοκοῦσιν εἶναι, πολὺ καὶ ἡμεῖς καὶ οἱ ἄλλοι Ἕλληνες μᾶλλον τότε* (*ὠφέλιμοι ἦμεν*); d) numero, I, 2 init., II, 17, VI, 28 et, ubi verbum ex insequentibus repetendum est, VII, 44; e) persona, cf. adn. I, 82, 1. Sed est etiam ex verbo aliud cognatae significationis audiendum. (Cf. Funckhaen. ad Demosth. c. Androt. §. 25.) Huc pertinet primum zeugma, de quo cf. adn. I, 17, 1, IV, 18, 3, VI, 2, 6, VI, 12, 1, VI, 78, 3, VII, 27, 3, VIII, 18, 1, VIII, 19, 4. Deinde, ut apud Latinos, ex verbis videndi, sciendi, suspicandi, metuendi, meditandi saepe verbum putandi, ex verbis admonendi, persuadendi, obtestandi, volendi, accusandi saepe verbum dicendi repeti debet. Cf. adn. IV, 3, 2. Nec multum differt exemplum II, 13, *ἀφίησιν αὐτὰ δημόσια εἶναι, καὶ μηδεμίαν οἱ ὑποψίαν κατὰ ταῦτα γίγνεσθαι*. Cf. adn. Qualia interdum etiam in dilogiam referas. Cf. adn. V, 53, VII, 42, VIII, 71, Matth. Gr. §. 634, 5. In enunciatis contrapositis adeo contrariae significationis verba subaudiri possunt. Cf. I, 142 extr., Matth. Gr. §. 634, 3 et de Latinis Beneck. ad Iust. XXXI, 1, 8. Ex copulato simplex verbum petendum est IV, 76, 4. Ex ceteris partibus orationis de *μᾶλλον* et *τοσούτῳ μᾶλλον* ex comparativo altero apud *ὅσῳ* eliciendis vid. adn. III, 11, 1, de ne-

gatione verbi potioris simul cum participio iungenda adn. I, 141, 6.

Deinde enunciationes quoque praetermissae sunt, quarum indices sunt aut particulae quaedam, aut reliqua membra comprehensionum ex pluribus partibus arcte cohaerentibus constantium. Illius generis est omissio pronunciati conditionalis apud γὰρ ἄν, cf. adn. I, 11, 1, I, 68, 4, I, 102, 2, IV, 54, 3, IV, 126, 5, alius enunciati ante γάρ, cf. adn. I, 17, 1, I, 77, 2, I, 120, 1, usus ὅμως particulae pro enunciato concessivo, cf. adn. I, 105, 7, II, 51, 6, III, 28, 2, III, 49, 1, IV, 96, 9, V, 61, 1, alibi identidem. Etiam comparationum alteris membris neglectis particulae μή vel οὐχ ὁμοίως, de quibus vid. adn. I, 2, 6, I, 124, 2 (et de Latinis *haud perinde* interpr. Tac. Germ. 5, 5 et Agric. 10 ac Stuerenb. ad Cic. de Off. p. 132 sq.), et μᾶλλον, de quo vid. adn. I, 3, 2, solae ponuntur. Idem dicendum de *καί etiam* II, 66, 10, IV, 84, 1, V, 42, 1, V, 74, 3, V, 111, 1, alibi. Tum ut de omissione ante εἰ δὲ μή legitima III, 3 taceamus, etiam alio modo ante εἰ deesse enunciationem vidimus III, 11, 3 et IV, 86, 4. De binorum contrariorum comparatorum altero omisso in altero membro vid. adn. ad II, 35 et VIII, 27.

Tum vocabula relativa et maxime verba transitiva nonnunquam sine complementis, ut saepe apud Tacitum, sunt posita. Vulgaria sunt ἀποβαίνειν pro ἀποβαίνειν ἐς τὴν γῆν, πληροῦν ναῦς, ut Latinum *complere*, similia; insolens ἐπιμελεῖσθαι sine nomine rei curatae collocatum VII, 8. Ex transitivis, quorum accusativi desunt, huc primum spectant participia ἀκούσας, πυθόμενος, ἰδών, similia, de quibus vid. Haas. ad VIII, 71, 2. Deinde praeter notissima πέμπειν, φυλάσσειν (cf. adn. VII, 53, 2), ἄγειν de ducibus dictum, conferri possunt ἐμβιβάζειν (vid. adn. II, 90, 3), τρίβειν (vid. adn. VII, 48, 6), alia.

Sequitur notionum arguta brevitas et densitas sive oratio condensata, βραχυλογία. (Cf. Bauer Philol. Thuc. p. 199 sqq. et p. 293 sq. et de lect. Thuc. p. 58.) Hoc nomine comprehendi iam id attractionis genus potest, quo praepositiones et adverbia motum ex loco significantia post articulum pro vo-

cabulis quietis ob verba addita ponuntur. Vid. de ἐκ adn. ad I, 8, 2, IV, 16, 2, VII, 31, 1, de ἀπό adn. II, 80, 1, IV, 68, 5, V, 65, 4, de παρά adn. V, 42, 1, de adverbiis αὐτόθεν, ἐκεῖθεν, similibus adn. I, 62, 4 et alibi. Quodammodo huc etiam adiectivi usus prolepticus referendus est, de quo vid. adn. I, 15, 2, II, 75, 6, V, 29, 1, VI, 92 extr., al. Sed praecipue huc pertinet emphasis, quae est significatio maior quam oratio, dicendi genus Tacito quoque probatum. (Cf. Boettich. Lex. Tac. p. LXXIV sqq.) Efficitur saepe praepositionibus. Ita I, 71 μέχρι τοῦδε ὡρίσθω ὑμῶν ἡ βραδυτής, II, 1 ἐπεμίγνυντο παρ' ἀλλήλους (cf. V, 78), V, 4 ἀπολιπεῖν ἐκ τῶν Συρακουσῶν (cf. V, 80), IV, 57 παρὰ τοὺς ἄλλους καταδῆσαι (cf. V, 67), IV, 108 ἐπὶ Νίσαιαν ξυμβαλεῖν, I, 18 διακριθῆναι πρὸς Ἀθηναίους καὶ πρὸς Λακεδαιμονίους, IV, 25 ἐπ' οἴκου διεκρίθησαν. Accedunt quum vulgare παρεῖναι (cf. adn. II, 34, 4), tum nonnulla magis controversa, velut II, 76, 2 et II, 91. Referas huc etiam πρός cum accus., ubi genit. exspectes, IV, 51, V, 105, VI, 80. Omnium maxime autem sic legitur ἐς. Hic primum commemorari possunt pleraque dicendi genera, in quibus ἐς pro ἐν aut ἐν pro ἐς posita videri possunt, cf. adn. III, 104, 3, V, 84, 3, VI, 54, 5 al. et de ἐν adn. IV, 14, 1, IV, 42, 3, VII, 87, 2. Praeterea ἀναστῆναι ἐς τόπον VIII, 45, ἀποκριθῆναι ἔς τι II, 49, ἐς τὴν Πελοπόννησον πράσσειν I, 65, quibuscum ibi comparavimus κελεύειν ἐς τὴν Λακεδ. IV, 108 et στρατιὰν ἐπαγγέλλειν ἐς τοὺς ξυμμάχους VII, 17, βιάζεσθαι ἐς τόπον I, 63 et διακινδυνεύειν ibid., ἔτρεψαν οὐδὲ ἐς χεῖρας τοὺς πολλοὺς ὑπομείναντας V, 72, στυρακίῳ ἀκοντίου χρησάμενος ἐς τὸν μοχλόν II, 4. De audacioribus nonnullis cf. II, 49 et IV, 113 adn. Alius generis sunt ἐξηλέγχθη ἐς τὸ ἀληθές III, 64. Vid. ibi adn. ac de Latinis praepositionibus *in* et *ad* cum emphasi dictis Boettich. Lex. Tacit. p. LXXVI sq. Alia rei exempla continentur verbis τὰς ὀλοφύρσεις ἐξέκαμνον II, 51, ubi vid. adn.; et ἐκπλεῦσαι ἐς τὴν εὐρυχωρίαν τὰς τῶν πολεμίων ναῦς VIII, 102. Cf. adn. II, 90. Perincerta est ratio verborum V, 74, 1 et VI, 17 init. Sed identidem per hanc figuram infinitivus additur ad verba, quibus adiungi posse non

videtur. Velut ἡ Ἑλλὰς — προςέχει τὴν γνώμην, εὔνοιαν ἔχουσα — πρᾶξαι ἡμᾶς ἃ ἐπινοοῦμεν, quibuscum contulimus III, 83, 4 et V, 40, 3. Eodem modo etiam alibi infinitivus explanandus est, ut post ἀνταγωνίζεσθαι III, 38, cui non dissimile usitatius hac vi διαμάχεσθαι III, 40, et post προκαταγνῶναι III, 53. Adverbia denique cum emphasi interdum pro integris enunciatis ponuntur. Cf. adn. II, 64, 2. Postremo singularis brevitas dicendi inest in verbis μετὰ τὸν Μῆδον III, 68, ubi vid. adn. Ob qualia omnia Θουκυδίδου τὸ κατεστοιβασμένον reprehendi videtur a Longino Τέχν. ῥητορ. ἐπιτ. §. 21.

Cap. XIII.

De sublimitate Thucydidis. Quibus in rebus insit, ita ostenditur, ut primum hunc scriptorem saepe substantive loqui, humilia fugere, syntaxi rariore et exquisitiore delectari maxime demonstretur. Deinde de collocatione verborum ita disseritur, ut et ad numerum breviter respiciatur, et traiectionum varia genera enumerentur. Accedunt denique nonnulla de comprehensionibus verborum Thucydideis.

Alterum, in quo serium et grande historici sermonis genus cerni supra diximus, fuit sublimitas non fugiens omnem asperitatem. Itaque Plutarchus Nic. c. 1 Thucydidi tribuit δεινότητα, Dionysius p. 776 τὸ δεινόν, p. 777 κάλλος φοβερόν, p. 793 τὸ τραχὺ τῆς ἁρμονίας, τὸ στρυφνόν, καὶ τὸ πικρόν, καὶ τὸ αὐστηρόν, καὶ τὸ ἐμβριθές, καὶ τὸ δεινόν, καὶ τὸ φοβερόν, p. 881 μεγαληγορίαν, idemque τραγικώτερον appellat eius sermonem et ipsum dicit ἐπιτραγῳδεῖν τὰς κοινὰς τῶν Ἑλλήνων συμφοράς p. 883. Add. id. p. 857. Auctor libri de elocutione μεγαλοπρεπές eius memorat §. 40, et, φεύγει, inquit §. 48 τὸ λεῖον καὶ ὁμαλὲς τῆς συνθέσεως, καὶ ἀεὶ μᾶλλόν τι προςκρούοντι ἔοικεν, ὥςπερ οἱ τὰς τραχείας ὁδοὺς πορευόμενοι. Hermogenes (περὶ ἰδεῶν l. II extr.) cupidum eum vocat τοῦ με-

γέθους et *σεμνόν* esse velle sermonem suum, atque esse talem sententiis (*ταῖς ἐννοίαις*), ceterum *ἀγλευκῆ σχεδὸν διόλου*, et incidere in *τὸ τραχύτερον καὶ τὸ σκληρότερον*. Marcellinus §. 39 electum ab eo esse genus dicendi sublime, quippe quod convenisset magnitudini tanti belli, affirmat et addit vere: *ὧν γὰρ αἱ πράξεις μεγάλαι, καὶ τὸν περὶ αὐτῶν ἔπρεπε λόγον ἐοικέναι ταῖς πράξεσιν*. Cf. id. §. 35, §. 50, §. 51, §. 53. Thucydidi et Critiae *τὸ μεγαλόγνωμον καὶ τὴν ὀφρῦν* attribuit Philostratus Epist. ad Iuliam Aug. p. 919. „*Τὸν αὐστηρὸν χαρακτῆρα ἐπετήδευσε*" legimus de eo in Walz. Rhet. VII, 26. Cf. ibid. VIII, 750. et Dion. Hal. de compos. verb. cap. 10 et 22. Cicero denique Orat. c. 12 Thucydidem ait incitatiorem ferri et de bellicis rebus canere etiam quodammodo bellicum.

Iam vero hoc dicendi genus non temere a praestantissimo historico electum esse neque quod alio uti non didicisset, sed quod argumento suo aptissimum esse vere iudicaret, demonstrare facile possumus. (Cf. Marcellini §. 39 verba modo allata.) Nam ubi tempora bellum Peloponnesiacum praecedentia depingit, si exceperis prooemium, in quo minus narrat quam ab aliis narrata ita perpendit, ut magnitudinem belli Pelop. illustret, id quod dictione paulo ornatiore fieri consentaneum erat, simpliciore et molliore sermone utitur (vide modo I, 24 sqq. et I, 89—118), et quibusdam in locis vere suavis est et dulcis. Itaque Hermogenes l. d. delectatur narratione de Tereo Procnae marito II, 29, et alii admirantur suavitatem et perspicuitatem historiae Cylonis I, 126, ubi vid. adn. At hi loci per ipsius argumenti, quod Thucydides tractavit, naturam non multi esse poterant. Sed etiamsi raro hilaris, simplex certe sermo usquequaque est in narratione rerum minus insignium. Assurgit et sublimior fit in alacribus pugnarum descriptionibus. Maxime tamen in orationibus haec sublimitas est perspicua. Ibi enim, quod vere scribit Hermogenes, *μειζόνως ἐστὶ τοιοῦτος, οἷον αὐτὸν ἐχαρακτηρίζομεν, ἐπεὶ ἔν γε τῇ ἱστορίᾳ ἧττόν ἐστι σκληρὸς καὶ τραχύς*. Et iure; nam et orationes iam per se flagitant sublimius dicendi genus, et, ut claram imaginem illorum temporum nobis re-

praesentent, moribus eorum, qui dicunt, sermonem congruere necesse est. Cf. Aristoph. Ran. v. 1059 sq. Quam igitur Marcellinus §. 56 affert causam, cur figuris quibusdam abstinuerit Thucydides, affirmans eas non convenisse Pericli, Archidamo, Brasidae aliisque viris magnanimis, generosis, heroica gloria florentibus, eadem docet, cur sublimitas cernatur maxime in orationibus. Atque etiam hae pro argumentorum diversitatibus valde differunt inter se. Nam Plataeensium oratio, qua supplicium a se avertere student, simplex est et moderata et venusta. Cf. adn. III, 53. Quod minus valet in Thebanorum concione huic contraria, quippe in qua magis sophisticis artibus causa mala occultanda fuerit. Cf. adn. III, 61. Periclis oratio funebris, quae laudes Athenarum praedicat, sublimis; Niciae, qui ipse sedatioris animi erat, adhortationes ad milites simpliciores; Atheniensium colloquium cum Meliis, quo iniusta petuntur et dira ostenduntur, asperum est. Compara Dion. H. p. 920 sqq. cum Levesquii excursu in Thucyd. IV. p. 335 sq. et de descriptione discordiarum et seditionum, quibus post tumultum Corcyraeorum perturbata est Graecia, adn. ad III, 82.

Vidimus igitur, cur et ubi sublimis et asper sit Thucydides; nunc vero examinandum, qualibus in rebus insit haec sublimitas atque asperitas. (Cf. Heilm. de serm. Thuc. p. 163.) Hic primum ipsa dialectus commemoranda est, quam elegit. Superiores enim scriptores vel omnes vel certe plurimi et optimi Ionica dialecto usi erant. Ea vero concursu vocalium mollis est et tracta, ideoque teneritati, hilaritati, garrulitati apprime consentanea. Cf. Creuz. Art. histor. Gr. p. 193 (ed. 2. p. 150). Sed Thucydides pro Ionica substituit Atticam dialectum, quae vocalium contractione pressi sermonis formam refert, et quatenus vetus Attica dialectus est, simul aliquantum asperitatis et granditatis habet. Vide supra c. IX de hac dialecto dicta.

Accedit deinde verborum electio, in qua quanquam multa Thucydidi affícta esse cognovimus, tamen primum verum est nonnulla vocabula aut prisca aut novata, quae alii scriptores, nisi qui eum imitati sunt, plerumque vitarunt, apud eum legi.

Cf. c. X. Deinde praecipue non raro substantive loquitur, ubi alii verba collocant. Etenim Hermogenes *περὶ ἰδεῶν* p. 226. t. III. Rhet. Walz. *σεμνὴ λέξις*, inquit, *ἡ ὀνομαστικὴ καὶ αὐτὰ τὰ ὀνόματα. ὀνομαστικὴν δὲ λέγω τὴν ἀπὸ τῶν ῥημάτων εἰς ὀνόματα πεποιημένην —. ὡς ἐλάχιστα γὰρ ἐν σεμνότητι δεῖ χρῆσθαι τοῖς ῥήμασιν, ὥσπερ ὁ Θουκυδίδης. σχεδὸν μὲν γὰρ διόλου βούλεται ποιεῖν τοῦτο, καταφανῶς δὲ αὐτὸ ἐν τῇ τῆς στάσεως ἐκφράσει τῶν Κερκυραίων πεποίηκε.* Affert deinde locum III, 82, 4, ubi *πλὴν τοῦ „ἐνομίσθη" τἄλλα πάντα σχεδὸν εἶναι ὀνόματα καὶ ὀνομαστικά* esse dicit, quod idem exemplum *σεμνότητος* usu substantivorum effectae habet Aristides Art. rhet. p. 854. vol. IX. Rhet. Walz, Dionysius Hal. p. 795 sq. tria exempla profert, quorum primum I, 41 init. parum idoneum est. Tum dicit eiusdem generis esse *τὴν οὐκ ἀποτείχισιν τοῦ Πλημμυρίου* l. VII, ubi *τὴν τοῦ Πλημμυρίου ἅλωσιν* s. *λῆψιν*, quae aliquoties l. VII legitur, cum *τῇ τῆς Λευκάδος οὐ περιτειχίσει* III, 95 confudit, de quo loquendi genere vid. adn. ad I, 137. Quod tertium Dionysius addit *ὀλόφυρσιν* pro *ὀλοφύρεσθαι*, in eo aut ad I, 143 aut ad II, 51 respexit, de quorum locorum altero in superiore capite diximus, *ὀλόφυρσιν ποιεῖσθαι* autem simile est exemplis statim attingendis. Quae huc refert Bauerus Philol. Thuc. p. 659 et de lect. Thuc. p. 28, si non omnino vana et ex comparatione sermonis Ciceroniani orta sunt, eo maxime pertinent, quod substantiva casum verborum, unde ducta sunt, adiunctum habent, qua de re paulo post loquemur. Hic sufficiat afferre verba etiam aliis de causis insignia V, 35 *ὑπώπτευον ἀλλήλους κατὰ τὴν τῶν χωρίων ἀλλήλοις οὐκ ἀπόδοσιν*, et duriora VI, 77 *περὶ δὲ οἱ μὲν σφίσιν ἀλλὰ μὴ ἐκείνῳ καταδουλώσεως*. Dativus non est additus, sed nomen verbale articulo carens item ex praepositione pendet V, 8 *ἄνευ προόψεως τε αὐτῶν* cet. Recte de omni hoc usu substantivorum Thucydideo iudicavit Heilmannus de ing. et serm. Thuc. p. 181, ubi dictionem ita sublimem, sed simul in aliis linguis, nisi sententiam solam spectemus, ad interpretandum difficilem fieri affirmat. Exempla alia, sed simpliciora, sunt locutiones *κωλυτὴν* et *μηνυτὴν γίγνεσθαί τινος* I, 132, ubi vid. adn., et III, 23, *δι-*

διάσκαλον πάντων (neutro genere) γίγνεσθαι VIII, 45 et quae his similia sunt, etiam σωφρονιστὴν εἶναι τῆς γνώμης III, 65. Nec minus abstracta, quae vocantur, cum verbis εἶναι vel γίγνεσθαι et ποιεῖσθαι ita dicuntur, ut pro iis usitatius singula substituantur verba. Illius generis sunt ἐγένετο ἡ διάφευξις αὐτοῖς III, 23 et alia, quae habet Heilmannus l. d. Ποιεῖσθαι quanquam omnes scriptores Graeci ita ponunt, nonnulla rariora eius sic collocati documenta apud Thucydidem reperiuntur. Cf. adn. I, 68, 2. Denique idem ob hoc studium substantive loquendi nomina quaedam ex verbis vel ipse primus fecit, vel certe ab aliis scriptoribus vitata in libros suos recepit, qualia sunt κατάφευξις VII, 38, 41, ἀγώνισις V, 50, alia complura in σις exeuntia, quorum nonnulla iam supra c. X prolata sunt, alia paulo post afferentur. Cf. Lob. ad Phryn. p. 351. Similiter Romani aurea aetate quum multis substantivis abstractis carerent, quo oratio historico densam et concisam elocutionem sectanti parum conveniens facta est, hanc Latinae linguae paupertatem bene sentientes quum alii scriptores tum, qui optime inter eos veram historici sermonis naturam perspexerat, Tacitus multa nova substantiva formarunt.

Ceterum sublimitati in delectu verborum quum studuerit Thucydides, humilia eum fugisse inter omnes constat, nisi forte Pollucem huic rei obstare putes, qui et formulam περὶ πρῶτον ὕπνον, qua ille usus est II, 2, dubitanter εὐτελῆ appellat I, 70, et sine ulla dubitatione IV, 14 adverbium πονηρῶς vel potius πονήρως idem valens atque μοχθηρῶς, φαύλως, φλαύρως, quod πον. habet Thucydides VII, 83; sed neutrum reprehendi posse apparet ex adn. VII, 48 et VIII, 24. Similiter mirum est a Polluce II, 228 εὐτελέστερον vocari ἐπινοεῖν, verbum ut Thucydidis (I, 70 al.), ita aliorum historicorum, Platonis, Antiphontis (vid. Steph. Thes.), et V, 126 εὐτελῆ dici δόκησιν, qua voce praeter Thucydidem (vid. adn. II, 35) non abstinuerunt Sophocles, Euripides, Herodotus. Contra minus mirabere quod idem Pollux duritiae accusat nonnulla vocabula a Thucydide posita; nam hanc duritiam non prorsus ab eo abesse concessimus. Neque tamen

ea tam inest in singulis verbis quam in eorum coniunctionibus et collocationibus. Dura tamen atque aspera (σκληρά, τραχέα, βίαια) a Polluce appellantur haec: ὁμαιχμία, super quo consule adn. I, 18, 3; ἀγχώμαλα, de quo vid. adn. VII, 71, 4; ἀντίπαλοι de hostibus dictum Onom. I, 150, quam notionem Thucydides fortasse nusquam ei voci subiecit, quum dubia sit explanatio verborum II, 89, 6 et II, 45 τὸ ἀντίπαλον magis aemulos significet, sed ita legitur apud tragicos, Pindarum, Xenophontem aliosque scriptores; ἐπικράτησις Onom. IX, 142, quod vocabulum Thucydideum (I, 41) non spretum esse a Dione Cass., Dione Chrys., aliis docent lexicographi. Κατακράτησις et καταγωνισμός, quae illud excipiunt in loco Pollucis IX, 142, non pertinent ad Thucydidem, ex quo ibidem ἀγωνισμός VII, 70 sitne cum reprehensione adnotatum, non est perspicuum. Idem dicendum de διαπολεμήσει VII, 42, cui quae adiungitur καταπολέμησις, non est vox Thucydidea. Δούλωσις et καταδουλώσασθαι quum probentur Polluci, non fuit cur reprehenderet καταδούλωσιν, quo nomine usus est Thucydides III, 10, ubi vid. adn., V, 27, VI, 76. Ἐπιβόημα, quod legitur Thuc. V, 65, „si durum videbatur Polluci VI, 208, non debebat ipse eo uti IX, 123.“ (DUK.) Ceterum ad similitudinem nominum ἐπιβόησις, ἐκβόησις, ἀναβόησις factum et aliquoties usurpatum est a Dione Cass. Νόμισιν, vocem a Polluce V, 126 reprehensam, ut Thucydides semel V, 105, ita Dio Cassius frequenter posuit. Ξένισις idem est, quod apud alios ξενισμός, VI, 46, ubi vid. adn. Itaque praeter ὁμαιχμία, ἀγχώμαλος, ἀντίπαλος sunt nomina verbalia in σις, μος, μα desinentia fortasse a Thucydide facta, verum tamen non dura aut aspera.

Sed praeter delectum verborum sublimitas efficitur etiam exquisitiore verborum conformatione. Ubi enim binae eorum compositiones legibus sunt consentaneae, a Thucydide plerumque praefertur rarior et insolentior. Quare primum is dativus, quem primo adspectu pro genitivo dictum credas, imprimis familiaris est huic scriptori, quem ex Latinis secuti sunt Livius et Tacitus potissimum. (Cf. Drak. ad Liv. III, 16, 2. Roth. ad Agric. p. 149 sqq. Bach. ad An. II, 46.)

In eiusmodi autem locis dativus aut ethicus est vel commodi et incommodi, qui vocatur, plerumque pronominum personalium ad verba a substantivis relatorum (cf. adn. I, 6, III, 98, IV, 96, IV, 128, V, 44, VII, 19, al. etiam addito participio VIII, 24), interdum etiam substantivorum (cf. adn. I, 5, III, 24, 3, IV, 6, 1, sd. V, 103, et de Tacito Walth. ad Tac. Ann. I, 3 et II, 3), aut, quam rem modo attigimus, substantivum cum casu adiectivi aut verbi, unde est ductum, coniunctum est, ut I, 122, III, 82, 1, V, 5, VI, 57, VIII, 21 et in exemplis paulo ante allatis. Deinde *σχῆμα καθ' ὅλον καὶ κατὰ μέρος* quanquam omnibus Graecis usitatum est, tamen apud Thucydidem et saepius et durius legitur. Nam non solum, ut omnes scriptores, per hoc schema vel appositionem partitivam et distributivam nominativos collocat pro genitivis (velut I, 2, I, 89, II, 47, III, 23, IV, 71, al.), sed etiam nominativos absolutos, qui videantur esse, pro genitivis absolutis. Cf. adn. II, 54, 1, IV, 6, 1, IV, 69, 1, IV, 73, 4, V, 36, 1, V, 44, 3, V, 81, 2. Deinde propter eandem figuram nominativi cum infinitivis leguntur pro accusativis. Vid. adn. IV, 114, 5, V, 46, 3, VI, 40, 1, VI, 49, 2, VI, 64, 2. Tum per idem schema vel eandem appositionem accusativi participiorum absoluti collocantur pro genitivis. Cf. adn. I, 10, 4, I, 140, 1, IV, 118, 14. Denique eadem de causa duplices accusativi et duplices dativi sic leguntur, ut alter horum casuum teneat locum genitivi partitivi. Vide de accusativis adn. II, 95, 1, III, 38, 4, V, 75, 4, de dativo adn. VII, 2, 4, VII, 8, 2. Tertiam conformationem verborum ad sublimitatem orationis efficiendam idoneam possumus dicere *σχῆμα κατὰ τὸ σημαινόμενον* cum anacoluthis et *συγχύσει*, qualia apud Thucydidem non deesse vidimus c. XII.

Porro sublimitati consulitur figurarum nonnullarum oratoriarum usu, maxime verborum immutatione, personae fictione, parium et contrariorum relatione, de qualibus cap. XI explicatum est.

Denique consideranda in ea re maxime est collocatio verborum (compositio, nisi quod hoc nomen latius spectans complectitur etiam complura, quae c. XI affuerunt,

συνθήκη τῶν ὀνομάτων Luci. de conscr. hist. c. 46, qui εὔκρατον καὶ μέσην in historia adhiberi iubet); quae collocatio ubi non certis atque constantibus legibus sermonis constituta est, aut numerus oratorius aut sententia respici in ea potest. De illo iudicare hodie satis non licet, quum verae Graecorum pronunciationis parum gnari simus. Laudat tamen Thucydidis numeros Dioysius p. 113 sqq. Ubi postquam orationis funebris initium secundum membra atque pedes singulos pertractatum μεγαλοπρεπρές, σεμνόν, εὐγενές vocavit, hoc de omni paene huius scriptoris sermone dicendum esse addit his verbis: τὰ πλεῖστα δέ ἐστι παρὰ Θουκυδίδῃ τοιαῦτα, μᾶλλον δ' ὀλίγα μὴ οὕτως ἔχοντα· ὥςτ' εἰκότως ὑψηλὸς εἶναι δοκεῖ καὶ καλλιεπὴς καὶ εὐγενὴς ὡς ἐκλέγων τοὺς ῥυθμούς. Unde autem oriatur Thucydidi numeri magnificentia, his verbis explanat Demetrius de Elocutione §. 40: σχεδὸν ὅλως τὸ μεγαλοπρεπὲς ἐν πᾶσιν αὐτῷ ποιεῖ ἡ τοῦ ῥυθμοῦ μακρότης· καὶ κινδυνεύει τῷ ἀνδρὶ τούτῳ, παντοδαποῦ ὄντος τοῦ μεγαλοπρεποῦς, αὕτη ἡ σύνθεσις μόνη, ἢ [καὶ] μάλιστα, περιποιεῖν τὸ μέγιστον (? μέγεθος ?). Idem exempla magnificentiae Thucydideae collocatione verborum et magnitudine membrorum effectae profert §. 44 et 48. Cicero quidem Orat. §. 219, si quae Herodotus et Thucydides totaque ea aetas apte numeroseque dixerit, ea non numero quaesito cecidisse affirmat; sed contra eum disputat Quintilianus Instit. IX, 4, 16 unius enunciati (I, 8) molles numeros vituperans §. 78. De poeticis, qui interdum reperiuntur, vid. c. XI. Egregios numeros imprimis Gallici interpretes aliquoties adnotarunt, velut I, 77, I, 142, II, 64, II, 75, III, 40, III, 82. Hiatus tamen, de quibus vide c. IX, frequentes sunt et consonantium nonnullarum concursus asperitatem efficiunt. Quare de constructione verborum queritur Dionysius p. 165, dicens ὅτι οὐκ ἔχει λείας οὐδὲ συνεξεσμένας τὰς ἁρμονίας, ἀλλὰ πολὺ τὸ ἀντίτυπον καὶ τραχὺ καὶ στρυφνὸν κ. τ. λ. p. 170. Cf. Demetr. de Eloc. §. 48, 72, 181. Κακόφωνα nonnulla adnotavit Lob. Paral. Gr. Gr. I. p. 16. 22. Cf. adn. I, 15, 2, IV, 31, 1, V, 30, 2, VIII, 16, 1, VIII, 67, 2, et ibid. §. 3.

Quum autem non numero solum numerosam fieri compo-

sitionem, sed etiam genere quodam concinnitatis, id est formis quibusdam orationis, in quibus concinnitas est, affirmet Cicero Orat. §. 219, comparanda hic etiam ea, de quibus c. XI dictum est.

Plura explicanda sunt de eo verborum ordine, qui non numero, sed vi verborum sententiarumque perspicuitate continetur. Hic Thucydides non raro a consueta collocatione recedit et impeditiore utitur. Atque eo potissimum spectant crimina *πεπλεγμένης*, *πολυπλόκου*, *σκολιᾶς λέξεως*, quae ei facit Dionysius. Alii vero veteres rhetores traiectionibus (*ὑπερβατοῖς*) eum gaudere adnotant. Ita Theo in Progymn. I. p. 188 ed. Walz., auctor libri *περὶ ὕψους* §. 22, Marcellinus §. 50 et 56. Exemplum hyperbati, quanquam levissimum, si ullum, Dionysius proponit p. 891. Etiam haec vero sermonis conformatio consulto a Thucydide videtur electa, quia dictis sic insolentior atque hac ipsa insolentia, ut paulo obscurior, ita sublimior videtur. Quanquam Fickert de „Thucydide consulto ambiguo" eum id egisse, ut lectorem ambiguitatis specie ad animi attentionem provocaret, de uno certe genere hyperbatorum loquens censet. Sciendum est autem multa, quae huc referas, omnino liberiori Graecae linguae collocationi deberi atque apud alios quoque scriptores non esse rara. Ita genitivus nonnunquam a nomine, ex quo pendet, divellitur. Cf. adn. I, 33 init., III, 54, 8, III, 104, 1, al. Ellendt ad Arri. II, 27, 9, de Latinis Walther ad Tac. Ann. I, 67. Deinde appositio et explicatio ab eo vocabulo, ad quod pertinet, separatur. Cf. I, 47, 2, III, 35, 1, IV, 90, IV, 108 al. Sint. ad Plut. Them. c. 24, de Latinis Rudim. Instit. gramm. p. 395. Tum vocabula ad nomina vel participia, quae articulum additum habent, referenda interdum iam ante articulum ponuntur. Cf. adn. I, 137, 4, II, 7, 2, II, 38, VI, 64. Tum participium ubi adverbio, praepositione cum casu eius, similibus additamentis accuratius definitum est, post nomen articulo instructum traiicitur, ut *τὴν ἐς τὸν Μηδικὸν πόλεμον τόλμαν γενομένην* I, 90, ubi vid. adn. Cf. Schaef. Appar. Dem. II. p. 367, Web. ad Dem. c. Aristocr. §. 183. Sed etiam vocabula ipsa, quibus participii sententia

definitur, traiiciuntur, ut τὴν γενομένην ἐπὶ τῷ Μήδῳ ξυμμαχίαν πρὸς αὐτούς I, 102, ubi vid. adn. Cf. Krueg. ad Dion. p. 139, Foertsch Obs. in Lys. p. 38. Participium etiam aliis modis traiici apparet ex iis, quae de ἔχων ad I, 9 sunt adnotata. Cf. Web. ad Dem. c. Aristocr. §. 173. Porro relativa et coniunctiones ὅτι, ὡς, εἰ, ἤν, similes, non semper ab initiis enunciatorum ponuntur. Cf. adn. I, 10, 2, I, 68, 1, III, 39, 2, III, 88, 3, VI, 33, 3, Schaef. Appar. Dem. II. p. 136, Braun de hyperb. Plat. II. p. 7 et de Latinis Zumpt. ad Cic. Verr. V, 15, 39 et Kuehn. ad Cic. Tusc. II, 14, 12. De ὡς et ὅ τι a superlativis suis separatis vid. adn. I, 63, 1 (cf. de Latinis Madv. ad Cic. de Fin. V, 9, 26), de πολύ ab adiectivo remoto adn. I, 35, 4, de praepositione a casu suo avulsa adn. I, 69, 5 et VI, 76, 4, de eadem inter adiectivum et substantivum interposita adn. I, 3, 3. Minus etiam huc referes quod δέ, τέ, γάρ, μέν coniunctiones interdum tertio, quarto (II, 6, III, 22, III, 81), semel (VII, 84) adeo quinto loco leguntur, ubi verba ea, quae his particulis antecedunt, arctissime inter se cohaerent et singulis exceptis vel articuli sunt, vel praepositiones, vel negandi particulae; quo accedit τάχ' ἂν δέ VI, 10, ubi cf. sd. De talibus vide Voigtl. ad Luci. Dial. Mort. III, Ell. ad Arri. VI, 12, 5, Kuehn. ad Xen. Anab. IV, 1, 3. Rariores, sed tamen non magis Thucydidis propriae sunt nonnullae negationum collocationes, ob quas de traiectionibus cogites. Cf. adn. I, 91, 7, I, 141, 6, III, 57, 1, III, 67, 2, Sinten. ad Plut. Themist. p. 2 sq., de Platone Braun. l. l. p. 15. Vid. etiam adn. III, 13, 5. Rectius de traiectione loquemur in interpositis οὐ πολὺς χρόνος ἐπειδή I, 6, ubi vid. Denique prorsus Graecae et usitatae sunt transpositiones de relativis enunciationibus adnotatae ad II, 45, 1, II, 48, 3, IV, 113, 2, IV, 127, 2, al. Postremo transpositiones solere fieri, ut aut contraria iuxta contraria (cf. adn. V, 80, 3, V, 97, 6, VI, 18, 6, VI, 82, 2, VII, 57, 8) aut eiusdem vocabuli diversi casus deinceps (cf. adn. VI, 87, 4, VII, 57, 5, VII, 64, 2) ponantur, notum est.

Sed huc primum pertinet synchysis partitionum disiunctionumque et comparationum; nam quanquam ne haec quidem

aliis scriptoribus inusitata est (cf. Wellaueri Additamenta ad Vechn. Hellenolex.), amat eam Thucydides. Cf. Bau. de lect. Thuc. p. 72 sq. et Philol. Thuc. p. 287 sq., adn. I, 38, 6, III, 76, 6, III, 96, 3, V, 7, 5, VI, 24, 1, VII, 3, 4. Frequentissima est post τέ particulam. Vid. adn. I, 16, 2, II, 37, 2, III, 36, 2, III, 40, 8, III, 94, 3, IV, 17, 1, IV, 24, 4, IV, 52, 2, IV, 80, 1, IV, 109, 1, alibi saepissime. Add. Wellau. l. d. p. 8. De eo autem genere collocationis, quo vocabulum loco suo consueto ideo movetur, ut ad duo verba et incisa aut pertineat aut videatur pertinere, iam in eo capite, quod est de brevitate, diximus. Accedunt deinde traiectiones verborum aliquae, quae ad certas leges revocari non possunt. Cf. adn. III, 15, 1, III, 24, 1, III, 90, 4, III, 103, 1, IV, 135, V, 47, 1, V, 53, VI, 18, 3, VI, 37, 1, VI, 77, 2, alibi. Similiter apud Tacitum, cuius hyperbata nonnulla adnotavit Kiesslingius ad Ann. I, 26 et XI, 18.

Hactenus de singulorum verborum collocatione locuti sumus. Sed spectanda est etiam universa compositio verborum, non neglecta prorsus a Demetrio, qui ἐκ περιαγωγῆς Thucydidi effici magnificentiam ambitu II, 102 ostendere §. 45 conatur. In qua quaestione adnotandum est primum non uti Thucydidem genere dicendi eo, quod circumscriptum appellat Aquila Rom. p. 157, sed soluto (τῇ διῃρημένῃ λέξει, σεσωρευμένοις καὶ ἐπεῤῥιμμένοις κώλοις, Demetr. de Eloc. §. 12, cf. Creuz. Art. hist. p. 188 sqq., ed. 2. p. 146 sqq.). Quare Cicero, ut de dubio loco Orat. §. 40 taceamus, *In Thucydide*, inquit, *orbem orationis desidero* Orat. §. 234. Exempla sint II, 79, II, 93, IV, 127. Itaque verbum primarium crebro non in extremo enunciato collocat, sed inter duo eius membra vel incisa interponit, ut I, 2 οὔτε μεγέθει πόλεων ἴσχυον οὔτε τῇ ἄλλῃ παρασκευῇ. Cf. I, 12, I, 21 init., I, 25, I, 26 al. (Similiter tamen et alii scriptores Graeci interdum loquuntur, cf. Born. et Kuehn. ad Xen. Comm. Socr. I, 6, 8, et non raro ipse Cicero, vid. Matth. not. crit. in orat. pro Mil. c. 1 et Kuehn. ad Tusc. I, 1, 2.) Deinde nonnunquam satis multae breves enunciationes per se constantes deinceps ponuntur, velut I, 102. Ubi autem longiores ambitus verborum

fiunt, ibi enunciata enunciatis saepe non tam subiiciuntur et intexuntur, quam adiiciuntur et interponuntur. Quare ea pronunciata, quae pronominum relativorum ope subiici primariis poterant, aliquoties particulis δέ, καί, τέ iis adiunguntur. Velut super δέ consule adn. III, 88, 2 (ubi etiam alios historicos et Graecos et Latinos sic loqui adnotavimus), super καί adn. III, 52, 5, IV, 21, 3, VI, 101, 4. Deinde plurimae reperiuntur interpositiones maxime γάρ et δέ particulis effectae. Velut γάρ particula addita enunciationes interponuntur I, 26, 3, I, 29, 4, III, 107, 2, IV, 43, VI, 16 et ubi in binis pronunciatis γάρ bis ita legitur, ut alterum causale sit, alterum explicandi vim habeat, velut I, 91, 3, II, 5, 4, VI, 101, 2. Etiam μέν γε particulae interpositiones faciunt I, 44, 4, ἀλλά III, 53, 2. Multo saepius autem δέ legitur in interpositionibus explanatoriis, non solum talibus, quales sunt I, 55, I, 126, 8 al., sed etiam inter enunciata particulis μὲν — δέ inter se nexa, aut protasin et apodosin efficientia, aliisve modis arctissime copulata. Vid. I, 113, 2, I, 128, 5, I, 131, 2, II, 9, 2, II, 78, 2, alia multa, quae protulimus in Betant. Lex. Thucyd. Suppl. II. p. 11. Idem δέ reperitur etiam in aliis interiectionibus explanandi vim minus habentibus, ut I, 9, 4; I, 10, I, 12, 3, I, 63, 2, al. Vid. ibid. — Hae autem interpositiones et longiores interdum sunt (ut I, 18 et IV, 73, ubi ἐπαναλήψεσι lectori succurritur) atque tales, quas Graeci signis non distinguentes difficilius cognoscerent necesse erat (ut I, 143, IV, 92), et aliquoties non suo loco leguntur. Cf. adn. III, 57, 1, VI, 27, 1, VI, 29, 1, VI, 104, VIII, 48, 1. Quae non confundenda sunt cum genere dicendi legitimo, quo sententia causam alterius reddens huic anteponitur. Cf. adn. I, 31, 2 et de eodem usu in enunciatione δέ particulae ope interposita adn. I, 26 extr. Ceterum interiectiones interdum admixta habent, quae extra erant ponenda (cf. adn. I, 72); alibi post eas sermo paulo alia ratione conformatur atque coeptus est (cf. IV, 73, 4), et δέ particula addita anacolutha oriuntur (cf. adn. IV, 132, 2). Qualia item in longiore comprehensione interiectionibus non divulsa reperiuntur VIII, 99. Etiam disiunctione μὲν — δέ

particularum iterum disiuncta interpositiones nascuntur, ut VI, 43. Quanquam alibi duplici distinctione arctior, sed simul interdum obscurior enunciatorum relatio efficitur, ut τέ ... τέ et τέ ... καί particulis VII, 47, 2.

Sic pervenimus ad ambitus, de quibus audi Dissenium. „Periodorum compositionis sunt duo primaria genera: — primum ubi statim ipsae prodeunt sententiae, deinde evolvuntur et explicantur disertius posterioribus membris loci; alterum, ubi suspenditur sensus praemissa varia praeparatione et in fine demum prodit summa sententia ... Evolve nunc mecum Thucydidem et considera paulisper antiquius dicendi genus in huius operis δημηγορίαις ceterisque partibus conspicuum: videbis praevalere ubique quam primo loco posuimus compositionis formam, et prodire sententias plerumque statim ipsas, deinde explicari disertius posterioribus membris periodi aut novis subiectis periodis similiter formatis. Cf. I, 68 init., II, 36 init. Quid multa? Non opus est ut plura afferam ex his δημηγορίαις. Quare restat, ut ex reliquo opere exemplum apponam. Videamus igitur statim initium prooemii. Satis liquet quod dixi: vides sic plerumque conformari periodos et hanc esse solennem apud Thucydidem compositionis rationem, ut sententiae statim ipsae prodeant, deinde explicentur aut posterioribus membris periodi aut novis periodis, unde tam frequens hic est usus particulae γάρ. Atque hoc est fundamentum structurae Thucydideae. Convenit reliqua forma tota fere in divisione et oppositione notionum et membrorum posita; nam ubi sententiae statim ipsae prodeunt, nullum est propius artificium, ut periodos efficias, divisione rerum in partes et opposita membra. Atque in orationibus Thucydideis hoc ita regnat, ut λέξις κατ' ἐξοχήν possit ἀντικειμένη dici. — Reperiuntur quidem apud Thucydidem passim etiam tales periodi, ubi suspenditur sensus, v. c. statim I, 2; sed nec colorem mutant totius operis intermixtae aliis, et sunt omnino initia tantum artis postea demum excultae et perfectae." * DISSEN ad Demosth. de Cor. p.

* Similiter, sed paulo distinctius, Od. Müller hist. lit. Graec.

XXV—XXX. Iam Cicero quidem Orat. §. 207: *In historia*, inquit, *et in eo*, *quod appellamus ἐπιδεικτικόν*, *placet omnia dici Isocrateo Theopompeoque more illa circumscriptione ambituque*, *ut tanquam in orbe inclusa currat oratio*, *quoad insistat in singulis perfectis absolutisque sententiis.* Sed praeterquam quod Thucydides, antequam est nata haec Isocratea vel comprehensio

---

II. p. 364, ubi postquam compositionem Thucydidis inter solutum genus dicendi Ionum et circumscriptum, quod postea Athenis excultum sit, mediam esse et iam longiores ambitus verborum apud eum inveniri dixit, in hunc modum pergit: „Aber diese Massen erscheinen noch nicht als wohlgegliederte, leicht bewegliche, schnell und gewandt einhertrabende Körper, sondern mehr als Conglomerate, in denen die Anziehungskraft eines Hauptgedankens eine Menge Nebengedanken herangezogen und neben sich aufgeschichtet hat. Und zwar hat Thucydides zwei Gattungen dieser motivirenden Sätze. — In der einen, die man die absteigende nennen kann, setzt er die Handlung, das Resultat, voran und lässt unmittelbar in Causalsätzen oder Participien die nächsten Ursachen oder Motive folgen, die er dann wieder durch ähnliche Satzformen begründet. (Beispiele I, 1, I, 25 und überall.) [Longus ambitus eiusmodi legitur III, 38.] Die andere Form, die ansteigende Periode, beginnt mit begründenden Umständen, entwickelt daraus allerlei Folgen oder darauf bezügliche Ueberlegungen, und schliesst oft nach einer langen Kette von Folgerungen mit dem Resultat, dem Entschluss oder der Handlung selbst. (Beispiele I, 2, I, 58, IV, 73, 74. Interessant ist es, wie Dionysius p. 872 eine solche ansteigende Periode seiner Kritik unterzieht.) Beide Arten von Perioden haben etwas Anstrengendes und verlangen zweimal gelesen zu werden, um in ihrer ganzen Zusammenfügung dem Geiste klar zu werden; man kann sie durch Auflösuugen — übersichtlicher, bequemer, gefälliger machen, aber man wird dann auch gestehen müssen, dass in Thucydides' Form, wenn man ihre Schwierigkeit einmal überwunden, das Zusammenwirken aller Glieder zu einem Ergebniss, die Einheit des Gedankens, am schärfsten ausgesprochen ist. Diese Art des Satzbaues gehört dem historischen Stil des Thucydides eigenthümlicher an; gemeinsam dagegen mit dem ganzen Zeitalter ist ihm die in den Reden herrschende symmetrische Architektonik der Rede, dies Spalten und Gegenüberstellen der Begriffe, dies Vergleichen und Unterscheiden, dies Herüber- und Hinüberblicken, wodurch eine eigne, wiegende Bewegung in Geist und Rede kommt."

vel continuatio, scripsit, et antiquiores oratores, ut Antiphontem, compositione simili Thucydideae uti Od. Mueller ostendit, ne concedere quidem possumus alteram historiae magis convenire, quod Cicero ideo, quia secundum ea, quae supra diximus, historicum genus demonstrativo oratorum aequiparandum censuit, affirmat. Rectius Dissen l. d. „Hoc genus", inquit, „periodorum (circumscriptarum) maxime oratorium est et ἐναγώνιον." Atque paulo ante: „Genus periodorum Thucydideum ... non est mobile nec citum et incitatum, sed tranquillum, tardum, grave, atque ita convenit egregie gravitati huius historiae et omnino tranquilliori animo priorum Atheniensium." *

Cap. XIV.

De varietate sermonis Thucydidei. Quibus in rebus non insit haec varietas et in quibus cernatur, ubi maxime explicatur de compositione verborum inaequali.

Varietatem sermonis postremo spectandam, ob quam *ποικιλώτατος* Thucydides vocatur quum ab aliis tum a Plutarcho in Nic. c. 1, minus quaerere debemus in verborum electione, quasi ibi, quemadmodum alii nonnulli scriptores, magnam vocabulorum copiam et ubertatem ostenderit. Fecit quidem hoc quoque aliquoties, ut in cunctationis et detrectationis vocibus II, 18 et IV, 28, ac, quo exemplo Hermogenes *περὶ μεθ. δειν.* III. p. 405 ed. Walz. utitur (cf. Greg. ad Hermog. VII. p. 1142 sq.), in verbis *τεκμήριον δέ, παράδειγμα δέ, σημεῖον δέ, μαρτύριον δέ, τεκμηριοῖ δέ*, quae ad eandem rem significan-

* Veterum rhetorum, velut Dion. Hal. de Compos. verb. c. 22, iudicia de comprehensionibus verborum Thucydideis non possunt non alia esse, quia ipsarum compositionum aliam notionem habebant atque recentiores, id quod optime demonstravit Bernhardt: „Begriff und Grundform der griechischen Periode." Wiesbad. 1854.

dam usurpantur in prooemio. Cf. etiam VII, 34, 6. Sed in aliis tantum abest ut huic verborum ubertati studuerit, ut eandem sententiam saepius redeuntem et per se ornatu non dignam vel plane iisdem vel simillimis verbis exprimat. Itaque saepe leguntur primum καὶ τὸ θέρος ἐτελεύτα, καὶ — ἔτος τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα τῷδε ὃν Θουκυδίδης ξυνέγραψε, τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου θέρους (χειμῶνος) aliaeque temporis formulae, quibus singulae partes huius historiae distinguuntur, deinde ἀπεχώρησαν ἐπ' οἶκου, στήσαντες τροπαῖον, ἀνελόμενοι τοὺς νεκροὺς ὑποσπόνδους, similia, et ubi de pugna velitum modo incursantium in hostem modo se recipientium dicitur, fit simillime II, 79, III, 97, IV, 32, VII, 79. Ἡγεῖτο δὲ Ἀρχίδαμος ὁ Ζευξιδάμου Λακεδαιμονίων βασιλεύς inveniuntur II, 19 et 47, iisque respondent ἡγεῖτο δὲ Ἆγις ὁ Ἀρχιδάμου Λακεδαιμονίων βασιλεύς IV, 2 et alibi. Etiam paucis interiectis eadem vocabula non ita raro iterantur, quod quanquam iam adnotaveramus in mai. ed. adn. ad II, 5, quoniam ibi Thucydidis exempla non ita multa attulimus, Bothius autem nuper ob hanc repetitionem plurima verba in suspicionem vocavit, quae in solis duobus libris VI et VII ab eo hanc ob causam aut impugnata essent aut impugnari potuissent, in auctiore Indicum et Supplementorum editione p. 517 sq. ideo collegimus, ut ipsa multitudine exemplorum hic conatus redargueretur. Ceterum cf. etiam adn. VI, 7, 1, VI, 20, 4, VI, 57, 2 al. et de repetitionibus earundem sententiarum supra c. XII.

Sed oratio variata inest potius in verborum formis et compositionibus, quanquam ea non obstat, quo minus aut accusativus subiecti et obiecti, qui dicitur, VI, 10 aut terni genitivi (cf. adn. I, 143, 2) iungantur, aut participium participio subiiciatur (cf. adn. IV, 90, 4). Sed primum flexiones nonnullorum vocabulorum variae reperiuntur. Cf. quae c. IX de dialecto dicta sunt et ad. II, 3, 2 et VII, 87, 2, adn. I, 7, 1. Quo referri possunt etiam adiectiva modo communis generis modo ternarum terminationum (cf. c. IX et ed. mai. Prol. I. p. 101 et Suppl.). Sed saepius, ubi enunciatum aliquod e duobus vel pluribus membris constat arcte

inter se cohaerentibus et respondentibus, non eligitur eadem compositio verborum in omnibus, sed quum duplex vel triplex legibus sermonis consentanea est, ab altera ad alteram vel adeo ab alia ad aliam transitur. Sunt autem huius variatae orationis, quam Tacitus quoque amat (vid. Roth. ad Agric. p. 276 sqq. et Boettich. Lex. Tacit. p. LXVI sq.), genera plurima. Ita interdum mutantur nominum numeri. Cf. sd. II, 73, 2, adn. V, 48, 1. Item in verbis fit et mutatis in mente nominibus, ad quae referuntur (cf. adn. I, 120, 3, I, 91, 5, sd. III, 51, adn. IV, 132, 3, VI, 86, 1), et post collectiva (cf. adn. III, 72, 3 et V, 82, 2). Deinde nunc generis solius, quum substantiva in plurali sunt posita, nunc, quum in singulari leguntur et feminina sunt, generis et numeri adiectivorum, pronominum, participiorum mutatio fit post nomina terrarum, urbium, navium (cf. adn. I, 7, 1, I, 110, 4, I, 136, 1, III, 1, 1, VI, 88, 4, VI, 94, 1, VIII, 64 extr.) et post alia collectiva (cf. adn. III, 110, 2, VI, 80, 1, VI, 91, 4, III, 22, 6). Tum identidem mutantur casus. Vid. adn. IV, 87, 3, VI, 24, 3, VI, 34, 4, VI, 35, VI, 76, 3, VI, 82, 2, VI, 85, 2, VI, 91, 7, VII, 13, 2, VII, 28, 3, al. (Cf. de similibus mutationibus casuum interpr. Aesch. Agam. v. 668, Schrader ad Mus. p. 316, Cort. ad Sallust. Cat. c. 33, Beneck. ad Iust. XLIV, 3.) Huc referri possunt etiam genitivi absoluti positi pro aliis casibus. Cf. adn. I, 114, 1, II, 8, 4, IV, 4, 4, V, 103, VII, 30, 4, alibi. Item accusativi absoluti collocati pro genitivis III, 53, 2. Ex pronominibus, quanquam Thucydides in usu *σφῶν* pronominis praeter eam exceptionem, de qua ad I, 20, 1 dictum est, diligens est, tamen variandae orationis causa et *σφῶν* atque *ἑαυτῶν* de iisdem leguntur (cf. adn. II, 90, 2), et *αὐτῶν* pro *σφῶν* (cf. adn. V, 32, 5, V, 40, 2). Similiter ab *αὐτός* transitur ad *ἐκεῖνος* (cf. adn. I, 132, 5), a *τάδε* ad *ταῦτα* (cf. adn. I, 143, 5). Quod si ad verba procedimus, parum memorabilis est transitus a passivis ad activum aut ab activo ad passivum, qualis in hoc exemplo invenitur, *μὴ τοῖς μὲν ὀλίγοις ἡ αἰτία προςτεθῇ, τὸν δὲ δῆμον ἀπολύσητε* III, 39. Cf. adn. ad III, 56, 7. Et frequentiores et interdum insolentiores sunt modorum

mutationes. (Cf. Duk. ad VIII, 76., Bau. de lect. Thuc. p. 68, Schrad. ad Mus. p. 309 sqq.) Creber primum in enunciatis obiectivis, quae dicuntur, est transitus ab indicativo ad optativum aut infinitivum aut ab optativo ad indicativum aut infinitivum post ὅτι. Cf. adn. I, 87, 4. Rarius post ὅτι ad participium (vid. VII, 64, 1) aut ad ὅτι ab infinitivo transitur, cf. adn. V, 65, 5, vel interposito infinitivo reditur, cf. adn. V, 69, 1. Quod post ὅτι, idem post ὡς apparet fieri posse. Cf. adn. VIII, 45, 4 et (ubi a modo potentiali ad indicativum transitur) VI, 35. Denique post δοκεῖ ne addito quidem ὅτι et indicativus et infinitivus invenitur I, 3, ubi vid. adn. Articulo instructus infinitivus in ὅτι mutatur VII, 14. Apud περιμένειν autem εἰ cum indicativo et infinitivus inter se respondent VII, 20. Porro optativus et indicativus in eadem comprehensione verborum, ut post ὅτι, leguntur etiam post εἰ I, 27, 1, ubi vid. adn. Post coniunctiones finales identidem transitus fit a coniunctivo ad optativum, semel ab optativo ad coniunctivum, cf. adn. III, 22, 8, item a futuro ad coniunctivum, cf. adn. VII, 39, 2. Rarius post easdem coniunctiones ad enunciatum per se constans transitur. Cf. adn. VI, 18, 4 et sd. I, 37, 4. Tum relativa ἄν et coniunctivum addita habentia cum relativis sine ἄν indicativo coniunctis in eadem compositione verborum copulantur. Cf. adn. II, 44, 1 et IV, 18, 1. Alibi enunciato relativo in altero membro participium respondet. Cf. II, 61 extr., III, 48 extr. Infinitivus praeterquam quod sine ὥςτε positus et cum ὥςτε iunctus alter ad alterum refertur VII, 36, 4, primum in indicativum nonnunquam transit post ὥςτε, cf. adn. V, 14, 1, durius autem et sic, ut integritas verborum suspecta sit, in oratione obliqua VIII, 76, 5, ubi vid. adn.; deinde in enunciationem a particula finali incipientem III, 51, 2 (ubi paulo post ad infinitivum reditur) et VI, 75, 3, ut modo idem de ὅτι adnotavimus; tum ex εἰκός pendens in imperativum VII, 77, 4; denique in participium post μανθάνειν I, 36, 3 et post νομίζειν VII, 68, 1 (vid. utrobique adn.), sicut cum articulo in verbis V, 9, 6 τοῦ ὑπαπιέναι πλέον ἢ τοῦ μένοντος τὴν διάνοιαν ἔχουσι. (Cf. infra de praepositionibus dicta.) Vi-

cissim participium aliquoties in infinitivum mutatur; cf. adn. I, 72, 1, III, 94, 3, IV, 3, 3, IV, 27, 1, IV, 85, 7, VI, 72, 4, VI, 78, 1, VIII, 45, 6; item in verbum finitum, cf. adn. I, 57, 4, VII, 13, 2, VII, 47, 2, VII, 69, 2, VIII, 5, 1, VIII, 45, 4; denique respondent inter se participium et enunciatio a pronomine relativo aut a coniunctione causali, temporali, similive incipiens; cf. de relativo paulo ante quae diximus, de altero genere autem adn. I, 1, 1, IV, 116, 1, III, 54, 2, VII, 18, 1 (de Liv. Fabr. ad XXI, 5, 12); item participium et nominis dativus causae vel praepositio cum casu suo VII, 84, 2. Ex temporibus praesens historicum et imperfectum in eadem orationis conformatione iuncta sunt VII, 43 et VIII, 41; praesens historicum et aoristus II, 68, II, 69, VI, 102, VIII, 85, 1 (ubi in diverso membro iis respondet imperfectum), al. (cf. Breitenb. ad Xen. H. Gr. II, 1, 15, et de Latinis Drakenb. ad Liv. III, 46, 9, Cort. ad Sal. Cat. c. 12 et 21, Held ad Caes. B. C. I, 41, interpr. Tac. Ann. II, 7); praesens et futurum II, 44, 1, III, 58, 5, et in partic. VII, 25, 9. Cf. ibi adn. Infinitivi aoristi vel praesentis et futuri aliquoties inter se respondent, cf. adn. III, 46, 2, IV, 28, 5, V, 35, 5, sd. V, 38, 1, participia aoristi et praesentis in ὡς νικῶντες et ὡς νικήσαντες VII, 34, 7 et 8. Denique etiam imperfectum et aoristus nonnunquam magis variandae orationis quam sententiae discernendae causa videntur legi. Cf. adn. VII, 20, 2 et VII, 57, 2. 34, 7. Postremo personae verborum interdum sunt mutatae. Vid. adn. I, 128, 7, sd. II, 36, 4, adn. III, 39, 8, VI, 18, 2. Ex praepositionibus Thucydides primum eas, quae similes significationes habent, ut πρός et ἐς, ἀπό et ἐκ, interdum alternat. Cf. Bau. de lect. Thuc. p. 68 et adn. III, 54, 1, item I, 35, IV, 61, VII, 11, VII, 33. (De aliis scriptoribus vid. Ell. ad Arr. VII, 6, 5, de Latinis Drak. ad Liv. VI, 28, 3, Fabr. ad Liv. XXI, 41, 14, Matth. ad Cic. pro Mil. §. 40.) Tum praepositio cum nomine iuncta transit in simplicem nominis casum obliquum, velut I, 32 μὴ μετὰ κακίας, δόξης δὲ ἁμαρτίᾳ, vel IV, 88 διά τε τὸ ἐπαγωγὰ εἰπεῖν καὶ ... φόβῳ. Cf. I, 23, I, 27, I, 120, II, 26, II, 39, II, 44, II, 82, 6

et ibid. §. 8, VII, 57, VII, 84, 2. Infinitivo autem ex praepositione suspenso participium respondet in altero inciso VI, 16, 3, ubi vid. adn. Cf. VII, 70, 4 *ἢ διὰ τὸ φεύγειν ἢ ... ἐπιπλέουσα* (et de toto hoc genere variandae orationis add. Ell. ad Arri. l. d., Drakenb. ad Liv. XXXVIII, 39, 10, Cort. ad Sal. Cat. c. 33, Walth. ad Tac. Ann. XIII, 9 et Kiessl. ad Tac. Germ. c. 15). Ex coniunctionibus *ὡς* et *ὅτι* VI, 52, *διότι* et *ὅτι* VII, 18 inter se commutantur. Deinde pro coniunctionum inter ipsas respondentium altera interdum diversa ita ponitur, ut a disiunctione ad coniunctionem transeatur, aut vicissim. Quare legitur nonnunquam *μὲν ... καί*, cf. sd. I, 143, 5 et adn. V, 71 et VIII, 80, 3, item *μὲν — τέ*, cf. sd. I, 144, 2, et vicissim *τὲ ... δέ*, cf. sd. I, 11, 1 et VIII, 16, 3 atque super *τὲ ... ἅμα δὲ καί* adn. I, 23, 3. Sed talia rectius ad synchysin aut anacolutha referri poterunt. Contra quam maxime huc pertinet substantivo alterius membri in altero respondens participium, infinitivus, enunciatum a coniunctione incipiens, adeo enunciatum per se constans (cf. Bau. de lect. Thuc. p. 69 sq.): participium I, 80 in verbis *ὥςτε μήτε ἀπειρίᾳ ἐπιθυμῆσαί τινα τοῦ ἔργου, μήτε ἀγαθὸν καὶ ἀσφαλὲς νομίσαντα*, ubi cf. adn., add. IV, 33 extr., IV, 36 extr., IV, 48, 3, IV, 53, IV, 69; infinitivus V, 53 *τῆς τε Κορίνθου ἕνεκα ἡσυχίας, καὶ ἐκ τῆς Αἰγίνης βραχυτέραν ἔσεσθαι τὴν βοήθειαν*, ubi vid. adn., atque alio eoque simpliciore modo VI, 80 extr.; enunciata secundaria a coniunctionibus incipientia I, 82 *μήτε πόλεμον δηλοῦντας, μήθ' ὡς ἐπιτρέψομεν*, II, 51 *ἡ ἀθυμία καὶ ὅτι* cet., IV, 85 *θαυμάζω τῇ τε ἀποκλήσει μου τῶν πυλῶν καὶ εἰ* cet., cf. V, 30; enunciata primaria I, 110 *διὰ μέγεθός τε τοῦ ἕλους ... καὶ ἅμα μαχιμώτατοί εἰσι τῶν Αἰγυπτίων οἱ ἕλειοι* et alibi, cf. ibi adn. et add. VII, 80, item, ubi coniunctivus adhortandi vim habens sequitur, I, 82. (Cf. de omni re Krueg. Gr. §. 59, 2, adn. 3, de Latinis Held. ad Caes. B. C. II, 35.)

Ita igitur brevitate, sublimitate, varietate insignem esse sermonem Thucydideum satis putamus declaratum esse.

Index historicus et geographicus.

A.

Abdera, II, 97. Abderites, II, 29.
Abydus Milesiorum colonia, VIII, 61, 62, 79, 102, 103, 104, 106, 107, 108.
Acamantis tribus, IV, 118.
Acanthus, Andriorum colonia, et Acanthii, IV, 84, 88, 114, 120, 124; V, 18.
Acanthus Lac., V, 19, 24.
Acarnan, Alcmaeonis f., II, 102.
Acarnanes priscum vitae genus servarunt, I, 5. Atheniensium socii, II, 7, 9, 68, 80; III, 7, 94, 95, 102; IV, 49, 77, 89, 101; VII, 57, 60, 67; funditores, II, 81, VII, 31; eorum κοινὸν δικαστήριον, III, 105. Argos Amphilochium accipiunt, II, 68. Ambraciotas vincunt, III, 105, 107, 108, 111, 113; pacem cum eis faciunt, III, 114.
Acarnania, II, 30, 33, 80, 83, 102; III, 102, 106; IV, 2; VII, 31; ab Acarnane Alcmaeonis f. dicta, II, 102.
Acesines Siciliae fl., IV, 25.
Achaei, I, 111; II, 9, 66; III, 92; VII, 34. (Homerici) I, 3; IV, 120; VI, 2. Phthiotae, VIII, 3.
Achaia, II, 83, 84. Peloponnesiis reddita, I, 115; reposcitur, IV, 21. Lacedaemonior. partibus adiuncta, V, 82. (Phthiotis) IV, 78.
Acharnae maximus Atticae pagus, II, 19 et 20, 21, 23.
Achelous fl., II, 102; III, 7, 106.
Acheron fl., I, 46.
Acherusia palus, I, 46.
Achilles, I, 3.
acies orbem efficiens, II, 83; quadrata, VI, 67; aliae, IV, 93; VI, 98 al.
Acrae Siciliae opp., VI, 5.
Acraeum Lepas, VII, 78.
Acragas fl., VI, 4.
Acropolis Athen., I, 126; II, 13, 15, 17; VI, 55; vocatur urbs, V, 18, 23, 47. Cf. II, 15.
Acrothoi, IV, 109.
Actaeae civitates, IV, 52.
Acte regio, IV, 109.
Actium, I, 29, 30.
Adimantus Corinthius, I, 60.
Admetus Molossorum rex, I, 136, 137.
adolescentes (Graeci), quadringentorum virorum ministri, III, 69.
Aeantides Lampsacenus, VI, 59.
Aegaeum mare, IV, 109; I, 98.
Aegaleos mons, II, 19.
Aegina, I, 139, 140; II, 31; III, 72; V, 53; VI, 32; VII, 20, 26; VIII, 92. Ab Atheniensibus oppugnatur, I, 105; deditur eis, I, 108; incursionibus infestatur, VIII, 92.
Aeginetae classe validi, I, 14. Ab Ath. subiecti, I, 41, 105, 108; III, 64. Belli adversus Athenienses auctores, I, 67; expulsi Thyream incolunt, II, 27; IV, 56; occiduntur, IV, 57. In Ath. exercitu, V, 74; VII, 57. In optimatium conspiratione adhibiti, VIII, 69.
Aeginetica drachma, Aegineticus obolus, V, 47.
Aegitium Aetoliae opp., III, 97.
Aegyptiorum pugnacissimi, I, 110. Aegyptii satellites Pausaniae, I, 130.
Aegyptus, IV, 53; VIII, 35. Ab Artaxerxe deficit et subigitur, I, 104—110. Classem eo mittunt Athenienses, I, 112. Pestilentia laborat, II, 48.
Aeneas Corinthius, IV, 119.

[illegible]

Ita igitur breviter
sermonem Thucydidem

…us Amphiarai f., II, 102.
…nidae Pisistratidas ei… VI, 59.
…ler Perdiccae p., I, 57 et … II, 29, 95, 99.
…rchus Corinthius, VII, 19.
…s e quadringentis, VIII, 92, …98.
